MIRACULOSUM HELUETIAE SIDUS. HOC EST: SUPERNATURALIS, AC...

Andrea : da san Tomaso

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 B
57 M
N. IX. 127

MIRACVLOSVM HELVETIÆ SIDVS.

Hoceſt:

SVPERNATVRALIS, AC STVPENDA NICOLAI DE Saxo, Anachoretæ Vnderualdij.

VITA.

AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM PRINCIpem ac Dominum, D. IACOBVM, *Epiſcopum Conſtantienſem, Dominum Augiæ maioris & Oeninga, &c.*

AVCTORE,

I. Ioachimo Eichornio Bellheimenſi, ex Nemetibus.

RORSCHACHII.

Excudebat Iohannes Röslerus, Sumptibus Autor.

M. DC. XIII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

*

Miraculum naturæ.



Nicoleos hic eſt, qui paſtus Corpore Chriſti,
Cætera jeiunus, bis duo luſtra fuit.

ILL.mo AC REV.mo PRINCIPI,

D. IACOBO,

EPISCOPO CONSTANTIENSI, DOMINO AVGIÆ MAioris & Oeningæ, &c. perpetuam felicitatem.

Illuſtriſsime ac Reuerendiſsime Princeps Domine, Domine Clementiſsime.

SCELERVM ac flagitiorum caligine, ac prope inſcientiæ Cymmerijs tenebris offuſus mundus, iam iam iuge illud SS. Miſſæ Sacrificium abolere & penitus tollere machinabatur; tempusq; illud, quod Sanctus olim *Hyppolitus*, plenus DEI ſpiritu, ad futurum prænunciauit, Sermone de conſummatione mundi, imminere videbatur.

Lugebunt (inquit; verba eius refero) *Eccleſiæ luctum magnum, quia nec oblatio nec ſuffitus fiat, nec cultus* DEO *gratus; ſed Eccleſiarum ædes ſacræ tugurij inſtar erunt; pretioſúmque Corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, Scripturarum recitatio non audietur: ſed erunt apud homines tenebræ, lamentatio ſuper lamentationem, væ ſuper væ.* Illud inquam tempus adeſſe feſtinabat, cum miſeratus miſericors DEVS tot animarum interitum, ne ſimul omnes perirent, ſingulari prouidentia excitauit in Heluetijs, intra Alpes, in eminentiſsimis Europæ locis, in eadem illa prouincia ac Diæceſi, qua omnium vaferrimus Antichriſti præcurſor oriundus foret; COMETEM magnum, adſpectu portentoſum & ſtupendum nimis; hoc eſt, HOMINEM; hominem inquam, ſi Diuinum & quodammodo ſi liceat Supernaturalem appellem; ignoſce verbis, mortalem certè fuiſſe noui; qui vitam in terris cœleſtem agens, cùm verbo tum facto mundum hunc impendentis admoneret periculi, atq; irati Numinis iram vitare doceret, omnibusq́;

exemplo

exemplo eſſet, haud vulgari modo, ſed prorſus inuſitato ac nouo. Nimirum debebat homo ille ab omni abſtinere cibo & potu corporeis, ſolaq́; SS. Euchariſtia (ſingulari paſsionis Dominicæ fructu) ſingulis menſibus piè ſumpta, in longos annos nutriri; vt ita in vulgus pateſceret, omnesq́; ſanæ mentis perſuadere poſſent ſibi, veterē Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, quam vates ille tenuiſſet perfectiſsimè, ſacroſanctam & diuinam eſſe; contrà nouam *Nouatorum*, mox venturorum, vaniſsimam ac Diabolicam. Etenim, vt rectè *Heidelbergicus* ille *Vrſinus* de *Critiriis* Chriſtianæ relig. diſputans, argum. 4. *Miracula* inquit, *qualia ſunt, ſuſcitatio mortuorum, ſtatus & regreſſus ſolis, diuiſio maris & fluminum, partus Virginis*, ſuſtentatio vitæ humanæ abſq; humano nutrimento, *& ſimilia; cùm ſolius* DEI *ſint opera, ad confirmandam Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam edita;* DEVS *verò mendacio teſtimonium non perhibeat; doctrinam eam à* DEO *profectam & veriſsimam eſſe euincunt.* Et iterum arg. 12. *Quæ religio homines facit ſanctos* DEOq́;

placentes, eam neceſſe eſt ſanctiſsimam & diuinam eſſe.

Bellè quidem ſacramentarius ille error, in Heluetia noſtra vel maximè natus, atq; operante Sathana per ſuos adminiſtros propagatus, contra realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, de tranſſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, retunditur. Fuit aliquando communis omnium Heluetiorum laus, quòd apud illos maximè, ſi vſquam alibi viguit, & floruit, & culta eſt vera erga SS. Euchariſtiam fides atq; religio: quam & DEVS ibidem cùm alijs argumentis, tum inſigni miraculo conteſtatus eſt, quum ſanctiſsimo Viro Nicolao noſtro Anachoretæ Vnderualdio non minus corporis quàm animæ vitam iſto cibo cœleſti annos ſemideuiginti prorogauit; vt vel ex re poſſet intelligi, eum ipſum in ſacra Euchariſtia veriſsimè contineri & percipi, qui vera vita eſt, & cuius ex carne viuifica & ſanguine, ſanguis & caro noſtra quodammodo alitur, & quaſi pignus quoddam accipit immortalitatis, vt à Diuo Irenæo auctore grauiſsimo ſcriptum eſt.

Sed ne longius in hunc campum excurram, ad Te ſermonẽ conuerto, Illuſtriſsime ac Reuerendiſsime Princeps. Cui quamobrem hiſtoricum hoc Opuſculum conſecrare, tuiq́; ſub ampliſsimi nominis Clientela in lucem emittere voluerim, cauſæ mihi multæ, ſed è multis inprimis vna fuit: Obedientia. Iuſſus enim cum eſſem, Illmæ Celni Tuæ nomine Venerab. Cleri ac Sextariatûs Vnderualdici per epiſtolam ſupplicare, quatenus ea Nicolai noſtri admirabiles dotes & prærogatiuas cordi ſibi ſumere, proq́; eius Canonizatione apud S. Romanam Sedem procuranda, conſilium ſuum, opem atq; operam clementer impendere dignaretur: aptiorem ſanè, qua id efficerem, viam modumq́; excogitare non potui, quàm ſi ex authenticis ſcriptis ac teſtimonijs ſuccinctam de Viri Dei vita & ſanctimonia conficerem narrationẽ; eamq; typis excuſam ad Illmam Celnem Tuam deſtinarem. (Nam ſi Friburgenſis catholica Heluetiorum ciuitas non dedignata olim fuit, imperfecta illa mea ac mendoſa Miſcellanea publicis typis procudere; quid ni

iam idem libellus diligenter emendatus & ab errorum ſcoria purgatiſsimus prodibit?) Ita enim fieri poſſe credebam, vt Illuſtriſsimus quiſq; ex tantæ hiſtoriæ lectione ad ſanctiſsimum illud Canonizationis opus promouendum facilius accenderetur.

Prouoluti ergò, Ill^me^ ac Reu^me^ Princeps Domine, Domine Clementiſsime, ad pedes venerandos tuos, cum multa humilitate & ſubmiſsione per Chriſtum rogamus ac petimus, vt hanc tantam Cauſſam ſereniſsimis mentis tuæ oculis introſpicere, noſtrique Nicolai acta tuo calculo aut probare, aut reprobare pius arbiter digneris. Enimuerò tu Paſtor noſter, tu Præſul es. Te cura iſta ſpectat. Tuo ex nutu pendet negotium. Annuente te, optato gaudio beabimur: renuente te, nihil fiet.

Vt multa ſint maximaq; Opera & facta tua; maiora tamen & plura à te expectare prçclariſsimus ille tuarum laudum cothurnus iubet. Tu enim es, cuius Cura pro gregibus tuis ac populis vigilantiſsimè excubat. Tu es, cuius pietas & munificentia

ad

ad exemplum priſcorum illorum laudatiſſimorumque Principum, ſplendidiſsima templa, Collegia ac monaſteria à fundamentis exædificat. Tu es, quem omnes religioſiſsimè viuere, iuſtitiæ & æquitati accerrimè incumbere, Synodos Diæceſanas ingenti animarum profectu celebrare, accuratas viſitationes quotannis inſtituere, reformationis opus ſtrenuè ac confidenter perſequi, Seminaria ſcholasq; reſtaurare, ſacros ritus ad S. Romanæ Eccleſiæ formam ac normam inſigni Zelo reuocare, libros Eccleſiaſticos inſanis ſumptibus procudere, doctos & religioſos homines liberaliter habere, hæreſes extirpare, pertinacibus nullam aurem præbere, morigeros omni ſuauitate complecti, iuſtitiam deniq; foro, immunitatem Eccleſijs, pacem terræ reducere, nôrunt. Quæ profectò omnia tanta ſunt, vt ſi non impiorum lance, non ſtatera populi doloſa, ſed iuſtiſsima piorum Chriſtianorum trutina ponderentur, non vulgi tantùm, ſed & ſummorum Virorum ac Principum memoriam alere, admirationem exercere queant.

Eia ergò, Ill^{me} ac Reu^{me} Domine, illi tuis inæſtimabilibus meritis hoc vnum (rogamus) adijce, Vt excellentiſsimi quoque Conterranei noſtri feſtiuam Commemorationem Faſtis noſtris, hoc eſt, Romano Conſtantienſi Breuiario inſertam faciente te videamus. Spartam hanc per te ornatiſſimam iri redditum confidimus. Quod ſi namque Illuſtr.^{mi} tui olim Prædeceſſores *Ottho* & *Hermannus*, feliciſsimæ memoriæ, in Vnderualdio Nicolao ſibi tantoperè complacuêre, vt non toti modò Diæceſi ſuæ de tanto Eremita dum viueret gratulati, verùm inſignibus quoq; eum *Apophoretis* muneratı fuerint; quo pacto iam, cum de ipſius Canonizatione agitur, nobis de peruulgatiſsima Celſitudinis tuæ munificentia ac pietate nihil non adminiculi opisq́; non pollicebimur?

De actis & Proceſsibus ſuper ea re habitis, ſcripſit iam ad Celſitud. tuam, vt audio, Conſultiſſ. Dn. *Renuardus Cyſatus* Eques ac Notarius Lateranenſis, idq́; iuſſu Dominorum Procerum Catholicæ Heluetiæ: ſcri-

beq́;

betq́; amplius, vt intelligo, Clariſſ. Dn. *Leonhardus Freund* Protonotarius Apoſtolicus ac Decanus Lucernenſ. pro parte ſui Decanatûs. Interim Cleri Vnderualdici nomine habeat Celſitudo tua Libellum hunc. De cuius fide ac dexteritate iubeo te quàm eſſe ſecuriſsimum. Salua & ſincera ſunt omnia, fundamentis minimè arenaceis (prout tum ſequens præfatio, tum textûs ſeries indigitant) nixa, atq; à falſo & fuco alieniſsima. Vtinam ſtylo tantùm par eſſet cum argumento grauitas: ſed non *Tullianam Suadam* hîc quæris, ſcio; veritatem, candorem, maturitatem vis. Igitur opellam quantulamcunq; noſtram, Ill^me ac Reu^me Princeps, æqui boniq; conſule; & partes Vnderualdij Nicolai certa cum ſpe locupletiſsimæ remunerationis fidenter tuere & orna. Nos verò coniunctis animis, ardentibusq́; Votis DEVM precabimur, Catholicæ vt Eccleſiæ, Romano Imperio, tibiq́; ac nobis quamdiutiſsimè ſuperſtes atq; incolumis viuas, & quæ præclara reſtaurandæ fidei ornandæq́; Eccleſiæ

Opera

Opera dudum cœpiſti, præclarioribus compleas, & feliciſsimis abſoluas. Sarnæ pago prætorio Vnderualdiæ. Calendis Maij, M. DC. XIII.

Ill.mæ ac Reumæ. Cel.nis T.æ

Humill. clientulus

I. Ioachimus Eichornius,
fortiſsimi Equitis Melch.
in Campo Sacellanus.

Hiſtoriam

TESTIMONIVM.

Hiſtoriam Fratris Nicolai Eremitæ Vnderualdenſis Heluetij, á R. Presb. Ioh. Ioachimo Eichornio conſcriptam, atq; in capita XXII. digeſtam legim⁹ & approbauim⁹. Conſentit enim per omnia cum antiquis monumentis & ſcripturis, quæ de beato Viro extant. Ita teſtamur.

IOHANNES ZIMMERMANVS *Venerab. Capituli 4. Cantonum Camerarius, Parochus Saxlenſis.*

IACOBVS HVTMACHERVS *eiusdem Capit. Sextarius Vnderualdicus, Parochus in Kerns.*

IOHANNES ZVR FLVE *Paſtor Sarnenſis.*

IACOBVS SCOLDVS *Paſtor Gyſuillanus.*

WILHELMVS DÔRFLINGERVS Congregationis Sacerdotum Vnderual. Notarius & Cantor, mpp.

AP-

LICENTIA.

Hiſtoria hæc de Beati Viri Nicolai à Flue Vita, morte & miraculis, auctore R. Dn. Iohanne Ioachimo Eichornio; Rorſchachij vt imprimatur, authoritate Reuerendiſsimi in Chriſto Patris, Principis ac Domini, D. Bernardi Abbatis monaſterij S. Galli; permitto.

Ego F. Iodocus Metslerus S. Th. Doctor, ex officio: 20. *Octob.* 1613.

DE

DE HISTORIAE HVIVS PRINCIPIIS AC FVNDAMENTIS.

PRAEFATIO.

NICOLAVS de Saxo (vulgò Bruder Clauß von Flüe) vir fuit abſtinentia & ſanctimonia miraculo adeò excellens, vt decem & nouem annos integros continuos ac menſes ſex, omnis cibi & potûs naturalis expers, ſolo SS. Euchariſtiæ myſterio nutritus, vitam viueret, Fidemq́ catholicam quam maximè illuſtraret.

De magno hoc & incomparabili viro, grandia, dum in terris ageret, conſcripta, editaq́ ſunt volumina; haud quidem in chartis atramento, ſed certâ experientia in cordibus ac memorijs hominum. Toti mundo innotuit, verè hunc eſſe Prophetam DEI. Quarè ad eum ceu quoddam Oraculum, alterumúe Hilarionem, aut Simeonem Stylitem concurrebatur: doctrinæ eius ad oſſium medullas penetrabant, mœſti erigebantur, pij ferueſiebant, impij conuertebantur, nemo non ædificatus ab eo diſcedebat: porrò angelicum præter ieiunium, quod vir DEI in tot annos produceret, alia etiam haud vulgaria rutilabant miracula. Atq́ hinc factum, vt tandem & boni & mali

mali, tantis victi virtutibus, captiq́; ad Nicolai laudem prorumperent, eumq́; vno ore omnes beatiſsimum ac ſanctiſsimum prædicarent.

I. *Vix mortalem ſarcinam* DEI *homo poſuerat, cùm multa paſsim de ſolenni ipſius, quaſi propediem adfutura Canonizatione ſparſit rumor. Itaq; generoſus vir* M. Henricus à Gundelfingen, *amplißimi Collegij Beronenſis in Herogêa canonicus pauloq́; pòſt Præpoſitus, in eum finem peculiare atque egregium Officium ſacrum de B. Nicolao noſtro in Eccleſia perſoluendum canendumq́; pulchro confecit artificio: cui & eruditam Orationem quaſi funebrem ſubiunxit. Atq; ea omnia in Codice membraneo venuſtiſsimè conſcripta, vir ille nobilis magnifico Lucernenſ. ciuitatis magiſtratui dedicauit; anno M. CCCC. LXXXVIII. idib. Auguſti. Inde locum aliquem, præfationi noſtræ idoneum, adferre in medium libet.* Is namq; Nicolaus (*inquit author*) Leopontiacus, vulgò von Löwenbruck (*nam ſic familia de Saxo olim indigitabatur*) ex Saxelon Vnderualdiæ ſuperioris vico natus, vxorem ibidem religioſam magnæque deuotionis matronam duxit; ex qua bonos feracesq́; fructus, ex ſeq; feraciori ſtipite protulit. De cuius vita beata & abſtinentia, multa & quaſi incredibilia referuntur; quæ ſi omnia enarrare vellem, ingens explerent volumen. Sed quædam pauca ad multorum ædificationem hoc in loco ſufficient. *Præfatus deinde, qui ſpretis*

caducis

caducis omnibus, pauper, nudus, ſine exemplo, deſertis in locis ædiculam extruxerit ſacram, ita pergit. Eremitorio huiuſmodi erecto expletoq;, noſter Eremita deinde mirum in modum orationibus, vigilijs, abſtinentia, contemplationibusq; ſeſe affligens, adeò ſibi religionis nomen comparauit, vt quammultus Alemanniæ & altæ & baſſæ (*hoc eſt, vtriusq; Germaniæ*) populus motus, ob iſtiuſmodi cælibatum, caſtimoniam, religionem, inauditamq; AB OMNI CORPORALI CIBO ABSTINENTIAM, à ſanctis Patribus in Eremo rarò viſam, vna mente, vno animo, vnoq; conſenſu talem Eremitam collaudârit, in cælumq; extulerit. Vt nihil iam dubitandum ſit, propè diem fore, vt non modò ab omni populo præconizetur, ſed & tandem coruſcantibus miraculis, à Maximis Pontificibus inter Sanctos Eremitas Confeſſoresq; referatur. *Sic ille.*

II. *Interim dum Gundelfingius hæc parat, crebra & ſtupenda ad Nicolai ſepulchrum fiunt miracula; quorum haud pauca à Viris cordatis ritè conſignata, anno eius ſæculi eodem, ſc. LXXXVIII. Noribergenſis quidam (qui procul dubio ſanctæ Eremitæ fama motus, longo itinere, vt plures alij, huc ſe receperat) vnà cum breui earum rerum, quæ ſuperſtite Nicolao acciderant, ſumma, in membraneis exarauit libellis. Horum vnus habetur hodiè Albo ſeu catalogo fundatorum Eccleſiæ Saxlenſis inſertus.*

ſimpliciſſimum at magni momenti Opus. E quo planè liquet, certos conſtitutos fuiſſe Inquiſitores, qui non niſi veriſsima ac iureiurando confirmata in eas tabulas retulerint, Porrò labente tempore plura miracula prioribus, quorundam aliorum manu, in iiſdem libellis ſunt addita.

III. *Hæſit ita res vſq; ad inſequuti noui ſæculi initia, totos nempè XIV. ab obitu Nicolai annos, cum* Henricus Lupulus *Canonicus Bernenſis (qui id tempus eruditionis virtutumq́; laude florens, egregiā exiſtimationem apud Heluetios habebat) negotij hoc ſuſcepit, ac ſingulari induſtria Opuſculum breue de admiranda Eremitæ huius vita Latinè conſcripſit, atq; Illuſtris. Dn. Matthæo Schinero Epiſcopo Sedunenſi nuncupauit. Qui pol hiſtoriæ fœtus vniuerſæ Heluetiæ probatus eſt adeò, vt nec ipſi Sectarij refellere eum audeant: immò ſunt ex illorum claſse, qui editis palàm ſcriptis (vt in loco annotabitur) hunc Lupuli quem dicimus Libellum diſertè ceu authenticum commendent, DEO id ſingulariter in rem noſtram ordinante.*

IV. *Exin tempeſtate illa, qua Lutherus inſanire cæpit, Sacello Nicolai noſtri eremitico præerat* Sebaſtianus Rhætus *Sacerdos, antiqua ſimplicitate ac fide homo. Is compluribus eo in loco perſeuerans annis, Siluanorum quaſi librarius extitit. Permultos quippè ex SS. Patribus in vſum piorum ſelectos tractatus ſua manu exarauit. His inſeruit quandoq; venerab. Patris noſtri hiſtoriam ex Lupulo, cæteriſq; vetuſtis methodicè congeſtam, adiectis eiusdem DEI*

amici dictis, ſpiritu & deuotione redundantibus. Taliſmodi ego exemplar anno M. D. XXI. exaratū, prece ac pretio cōparaui, euidens haud magis veterū ſimplicitatis argumētū, quā Nic. ſanctitatis teſtimoniū.

V. *Cæterum, præter ea, quæ in Faſciculo temporum, Nauclero, Glareano, Etterlino, & Chronicis Noribergicis, habebātur paucula, nihil omninò quod ſciam, extabat typis de viro DEI excuſum, ad vndequinquageſimum vſq; tranſitus eius annum. Vt igitur viri tanti non modò fama, ſed hiſtoria etiam ſpargeretur longè lateq;,* Iohannes Salatus *ciuis ac Notarius Lucernenſis iuratus, eximiæ integritatis ac prudentiæ vir, anno Orbis redempti M. D. XXXVI. Vitam Nicolai, non tam ex Lupulo & reliquis, quàm propria experientia contextam, prælo ſubiecit, talibus in præfatione commendatam.* Atque hæc, *inquit* vera eſt, authentica, DEOq; placita hiſtoria; quæ fidei Chriſtianæ patrocinari egregiè queat: Scitu vtilis ac neceſsaria, nulloq; modo tegenda amplius ſilentio: exemplū pietatis, honeſtatis, ac veræ fidei, ꝙ nemo vnquā extenuare fuit auſus, immò quod ſubuerſu & refutatu impoſsibile eſt prorſus; *& cætera quæ ſequntur.*

VI. *Recens autem impreſſa hiſtoria, paruo volumine circumlata, cum auidè ac paſſim lectitaretur, breui admodum diſtracta eſt. Idcircò anno ſalutis M. D. LXXI. venerabilis vir M. Vdalricus VVittuillerus celeberrimi Monaſterij Einſidlenſis id tempus Concionator (qui poſtea eiuſdem etiam loci Decanus,*

mox Abbas, Imperijq́ Princeps fuit) multis multorū precibus ac deſiderijs ſatis facturus, ad cumulandam ſimul B. Nicolai laudem, ſimul & Eccleſiæ DEI *gloriam, applicuit animum: Habitaq́ diligenti in Authores ſupradictos inquiſitione, vbi authenticos eos inueniſset, venuſto Schemate viri* DEI *hiſtoriam Dilingæ edidit, editamq́ Heluetijs ſuis Quinquepagicis erudita ac longiſsima præfatione dicauit. Cùm verò nec ſic lectorum auiditati ſufficerent hiſtoriæ exemplaria, idem Dn. Vdalricus jam factus Abbas, ſecundò eam in maximum curauit numerum excudi. Igitur ſpectatiſsima huius Principis authoritas & religio magnam Hiſtoriæ adiecit fidem.*

VII. *Iam totum á defuncto Nicolao effluxerat ſæculum, cùm tandem Catholica Heluetia de Canonizatione eius ſeriò cogitare cœpit. (Nihil hic attinere arbitror; quid dudum ea in re à paucis quibusdam cùm Romæ, tum Tridenti, durante Concilio, priuatos intra parietes tractatum ſit, referre) Ergò Illuſtris.* Card. Octauij Parauicini, *Apoſtolici ad Heluetios Legati monitu, viris quindecim fide, religione, authoritate præſtantibus, ex omni Vnderualdia lectis; ſimulq́ Clariſs. DD.* Petro Embergero *Collegiatæ Lucernenſium Eccleſiæ Præpoſito;* Renuardoq; Cyſato *publico Notario Apoſtolico, vrbis eiusdem Protoſcriba &c. Negotium datum, vt in Eremitæ huius acta ſeruandis ſeruatis inquirerent. Quod illi quidē anni M. D. X C I. menſe Ianuario, in Sarnenſi curia, quò mortales vtriusq́ ſexûs innumeri cōfluxerant, magna diligentia exequuti ſunt. Multi tum ac-*

ceſſē-

ceſsêre teſtes iurati & graues, quorum aut parentes, aut propinqui Nicolaum in Eremo & ſæpius viderant & optimè cognôrant: atq; hi res ſtupendas, & quæ plurimum ad Nicolai ſanctitudinem conteſtandam facerent, in medium protulêre; alÿs alia cùm recentia tum vetera enumerantibus miracula. Adfuit quoq; Andreas Vrſus ſpectatæ fidei ac venerandæ ætatis Sacerdos, tunc Stanzianæ, olim Saxlenſis Eccleſiæ Paſtor, qui aliquot etiam perſonis, quæ ipſo cum Nicolao fuerant loquutæ, ſalutaria quondam impertierat Sacramenta; accommodus huic actui, quod multa ex illis didiciſset, adminiſter.

Cæterùm finito examine (in quo Nicolai hiſtoria, tum ab Vdalrico Abbate, tum reliquis edita, maximè approbata fuit) totoq; proceſsu in ſcripta relato, Dn. Notarius Apoſtolicus celebre inde confecit Inſtrumentũ; quod incunctanter GREGORIO XIV. Pont. Max. propoſitum ac præſentatum eſt à Clariſs. viris, Melchiore Luſſio equite aurato, Heluetiorum ad SS. Concilium Tridentinum Legato quondam atq; Oratore; Melchiore item in Campo vexillifero Vnderualdenſium generali, &c. Porrò pientiſsimus Pontifex (in cuius familiaritatem Dn. Luſsius Tridenti venerat) talibus Nuncÿs benigniſsmè auditis, liberaliterq; habitis, dici non poſsit, quanta animi propenſione in rem poſtulatam fuerit. Verùm proh dolor, Pontificem optimum, cœptiſq; ingentibus clarum, ſubita mors præripiens eximiam bonorum feſellit ſpem. Et ſic hactenus illud manet.

Authores hi ſeptem (quorum ſanè fidem & au-

thoritatem ea in re maximi façio) ſinguli quidem fideliter eandem depingunt hiſtoriam, ſed breuius omnes, quàm vt exprimendæ rei tam exellenti ſufficiat; tametſi alius ſit alio prolixior, alius alio accuratior. Enimuerò illis ſi adiungas, quæ apud Scriptores cæteros inſignes tum Catholicos tum ſectarios habentur teſtimonia: Item ſi varia hui⁹ Eremitæ veſtigia ac monumenta, ſimulq́ famam ipſius ſanctam, per duas iam ferè ætates, hoc eſt, bis ſexaginta tres annos, conſtantiſsimè conſeruatam, penitius introſpicias; quæ & quanta olim de viro hoc conſcribi potuerint, apparebit.

Si tuus hîc quondã doctus Baptiſta fuiſset,
Mantua, ſeu Blondus maxima Roma tu⁹;
Actis Nicolei permagna volumina magnis
Et metro & proſa ritè repleta forent.

Sed DEO ſint laudes, quòd in tanta doctorum hominum penuria, tantoq́ bellicorum tumultuum ſtrepitu (quæ Nicolao eremiticam agente, & aliquot luſtris pòſt, temporum erat apud Heluetios malignitas) talia tamen literis authenticè mandata ſunt, quæ ad obtinendam exequendamq́ viri Canonizationem ſufficere omninò poſſe videantur.

Habes igitur, mi Lector candide, prodigioſi illius Cometis deſcriptionem; Vitam, inquam, Vnderualdij Nicolai, ex ijs primum ſeptem, quos ſuprà nominaui, auctoribus quaſi domeſticis concinnatam; ac deinde exterorum quoq́ grauiſſimorum Scriptorum teſtimonijs, ceu valentiſſimis ſigillis, communitam, Quorum ſanè authographa, Struthionem imitatus,) quæ

non incubando, ſed fixis oculis Oua diu multumq́; intuendo, pullos excludere perhibetur) tam ſæpè vidi, legi, reuolui, & inuicem tam ſedulò contuli, vt omninò ſperem, me demùm hiſtoriæ ac veritatis ſcopum perfectiſſimè attigiſſe, proindeq́; meritò iam animo conquieſcere queam.

* * *

In Zoilum.

Honi ſoit, qui maly penſe.

AVTHORES, E QVORVM SCRIPTIS PRÆSENS HISTORIA CONGEſta eſt:

Anno *CATHOLICI, de B. Viro ſcripſerunt.*

1487. Iohannes Trithemius Abbas Spanheimenſis,
1488. M. Henricus Gundelfingius Beronenſis canonicus,
eodem. Scriptor Albi benefactorum Aedis Saxlenſis,
1491. Author Faſciculi temporum,
1493. Auctores vetuſti Chronici Noribergici,
1497. Bonifacius Simoneta Cornu Abbas Italus,
1500. Iohannes Nauclerus I.V. Doctor Tubingenſis,
1501. Henricus Lupulus Senior, canonicus Bernenſis,
1507. Petrus Etterlinus amanuenſis Curiæ Lucernenſis,
1515. Henricus Glareanus Profeſſor Academ. Friburgenſ.
1521. Sebaſtianus Rhætus Sacellanus loci Ranfft,
1536. Iohannes Salatus amanuenſis curiæ Lucernenſis,
1570. Adamus Valaſſerus Librarius Dilinganus,
1571. M. Vdalricus VVittuillerus Abbas Einſidlenſis,
1580. Petrus Caniſius Societatis IESV Theologus,
1582. Gilbertus Genebrardus Profeſſor Pariſienſis,
1590. Sebaſtianus à Beroldingen Conſul Vranienſis,
1591. Renuardus Cyſatus Notarius Apoſtolicus,
1597. Sebaſtianus Verronius S. T. Doctor Friburgenſis,

Anno *SECTARII, de Viro DEI ſcripſerunt.*

1525. Oſualdus Molitor qui & Myconius, Baſileenſ.
1546. Iohannes Stumphius Tigurinus,
1560. Henricus Pantaleon medicus Baſileenſis,
1570. Ioſias Simlerus Tigurinus,
1600. Iohannes Heid ex Dhun Bernas.

His accedunt ipſa Nicolai monumenta ac veſtigia: item Exequiarum parochiæ Saxlenſ. codex, ætate Nicolai à diuerſis ſcriptus: varia quoq; picturæ, tabulæ, literæ ſigillis munitæ, &c.

VITA

VITA INCOMPARABILIS VIRI, NICOLAI DE SAXO, CIVIS QVONDAM ET ANAchoretæ Vnderualdij, apud Heluetios.

Ipſius patria & natales.

Cap. I. §. I.

VNDERVALDIA, quæ & Siluania, ex tredecim illis Heluetiorum liberis ciuitatibus, quas Cantones vocant, vna; Vallis eſt (non oppidum) oblonga lataq́;, altiſsimis vndiq; aut Alpium iugis, aut Lacuum abyſſis circundata. Ditioni Lucernenſium adiacet, verſus meridiem ac brumalem Orientem: idq́; in Conſtantienſi omnium Germaniæ Epiſcopatuum longè ampliſsima & populoſiſsima Diœceſi. Fœta armis regio,

plebs officioſa, Sacris naturâ dedita. Multis pagis abundat; è quibus Conuentus parochiales decem conſtituti. Eorum præcipui; Sarnenſis, Stanzianus, Kernſianus, Buxetanus, & qui Vnderualdij Nicolai natalis locus eſt, Saxlenſis.

2. Illîc quippè annum ſalutis circa M. CCCC. familia inter cæteras vetuſtior ac honoratior; à monte ipſo, quem pecoribus ac gregibus depaſcendis incolebat, Saxicola, ſiue gens de Saxo, appellata, floruit. Victus illi maiorum more parcus & frugalis: quæ præter terræ culturam, armentorumque prouentus, nulli ſeruiret quæſtui: neminem lædere, omnibus benefacere ſolita, &c. Atq; ex hoc genere, Patre Henrico, matre Hemmanna Roberta, pientiſsimis parentibus, Nicolaus noſter in lucem eſt editus, menſe Martio, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum decimo ſeptimo; Capitibus mundi in Oecumenico Conſtantienſi Concilio legitimè congregatis.

3. Ortus eſt autem Heluetius ille, quem dicimus, Cometes, in Conſtantienſi Diæceſi, eadem ipſa tempeſtate, qua Conſtantiæ à S. Synodo pertinaciſsimum illud & lamentabile trium ſummorum Pontificum ſchiſma, quali nunquam antea exercita fuerat Eccleſia, mirabiliter ſublatum ac de-

letum

letum fuit, paxq́; tandem & concordia Orbi Chriſtiano reſtituta. Quod vtrum inſigni vacet myſterio, ſi præſertim cum ſequenti §. conferatur, lector cordatus æſtimet.

4. Is namq; (mira dictu audituq́; res) dum in matris adhuc concluderetur vtero, STELLAM in cœlo vidit cæteris clariorem, ſuisq́; radijs totum terrarum orbem illuſtrantem: cui perſimilem quoq; in Eremo poſteà ſæpius conſpexit, ita vt eam ipſam in Vtero viſam arbitraretur. Vidit & ingens quoddam SAXVM; ſacrumque quo Chriſti fideles inunguntur, OLEVM.

5. Confeſtim porrò à natiuitate, tam obſtetricis quàm matris ſuæ perfectam habuit cognitionem. Seſe inſuper per cliuoſa loca, in quibus & demùm Vitam peregit, ad ſacrum Baptiſmatis fontem Kernſium deferri ſenſit. Vbi & baptizantem Sacerdotem, & reliquos adſtantes omnes (vetulo quodam vno excepto) noſcitabundus adſpexit. Quæ cuncta venerabilis Presb. Henricus am Grundt Parochus Stanzianus, ex ſecreta Nicolai confeſsione, ſanctè poſt obitum eius affirmauit.

6. Baptizatus autem in Kernſiana Parœcia ob eam cauſam fuit, quòd ordinaria Saxlenſium ædes (vt fama eſt) interdicta, ac ſine Sacerdote per id tempus eſſet.

Eius pueritia & Iuuentus.

Cap. II. §. I.

AB ineunte ætate optimus puer optimis imbutus moribus, paternas traditiones & maiorum monitus fideliter conſeruabat. Verax inprimis, & in omnes pius ac manſuetus. Nulla in eo laſciuiæ reperta ſunt indicia. Senes omnes diligenti venerabatur obſequio. Coætaneos ſuos ad diuina præcipuè ſeruitia hortabatur; maximè verò germanos ſuos ac ſorores, quibus cum ſemper coniunctiſsimè viuebat.

2. Iam porrò transgreſſus pueritiam Nicolaus, ac ſextumdecimum ætatis annum agens, conuallem Ranfft (quâ vel pagum Kerns, vel antiquiſsimum S. Nicolai templum, in monte ſublimi, è paternæ domûs regione ſitum, petituro tranſeundem erat) ſemel ingreſſus, viſionem vidit admirabilem; nimirùm. Stabat diuinitùs fabrefacta in cliuo, vbi poſteà erectum fuit Sacellum eius ſolitarium, auguſta moles ſpecioſiſsimæ inſtar turris, cuius pinnaculum ipſas cœli nubes attingeret. Hanc felix adoleſcens cum intenſius contemplaretur, repentè incredibili deſiderio vitæ ſolitariæ eſt incenſus. Quamobrem ex ea hora (quod ipſe poſteà Arnoldo an der Halten intimo ſuo reuelauit) & odiſſe turbas ho-

minum, & diligere ſolitudinem maximoperè cœpit. Nil tamen egit immaturè. Erat ſubditus parentibus, rebusq́; domeſticis incumbebat diligenter.

3. Et ſi quando diurno in agris pratisúe peracto labore, domum cum cæteris redeundum eſſet, ſolus ipſe plerunq; ſequens, paulatim ſeſe à reliquo ſuffurabatur comitatu; quò procedentibus alijs, ac neſcientibus, perſæpè etiam diſsimulantibus, ſecretiorem aliquem peteret orationi locum. Atq; ſic demùm gratijs DEO actis tardior ipſe redijt.

4. Succedentibus deinde annis, cœpit & ipſe majori indies virtutum diſciplina ſeſe exercere: ita vt necdum pubes ſingulis ſextis ferijs; mox & quatriduano hebdomadatim corpus maceraret ieiunio; ferijs quidem quarta ſextaq;, vt ſe conformem S. Myreenſi Nicolao redderet; feria autem ſecunda ac Sabbato, ad S. Nicolai Tolentinatis exemplum.

5. Quadrageſimalem porrò abſtinentiam, modico panis fruſtulo, paucisq́; pyris furno toſtis, in dies ſingulos abſumptis, diligentiſsimè quotannis obſeruabat. Et cum ab alijs ob nimiam auſteritatem aliquando corriperetur; reſpondit, ita diuinæ placitum eſſe voluntati: vel, quæ Albi Saxlenſis verba formalia ſunt; Gott will es alſo gehept han.

De matrimonio eius, ac rebus bellicis. CAP. III. §. I.

SVNT, qui hoc capite (quod non ſemel animaduerti) nonnihil offendantur; exiſtimantes, parum decuiſſe DEI hominem, connubio operam dare, ac liberos procreare. Verùm ij primùm, multos Sanctos idipſum etiam feciſſe cogitent: deinde elici hinc poſſe, ſingulare diuinæ prouidentiæ argumentum. Is quippè ſi cum ſanctiſſimo coætaneo ſuo Franciſco de Paula cælibatum à puero coluiſſet; nonne Acatholici poſteà viſiones eius, documenta ac pręmonitiones more ſuo ludibrijs exceptas, velut monachica quædã ſomnia ac deliramenta erant proclamitaturi? Iam verò cùm ex matrimonio DEI homo prolem ſuſcepit: ecce tibi, eam vnam ob cauſam & Libri eorum, & pulpita, & cœnæ, & congreſſiones Nicolai laudum plenæ ſunt. Vt intelligas, ſuopte ſi ex ore ſerui illi nequam olim iudicabuntur, Iuſtum eſſe Dominum, & rectum Iudicium eius.

2. Itaq; vxorem duxit Nicolaus, Dorotheam Weißling/ ab omni huius ſæculi malitia alienam. Quæ ei ſingulari DEI dono liberos decem, id eſt, mares quinq; & totidem fæmellas, (ex quibus deinde familia de Saxo in immenſum creuit) enixa eſt.

Illos verò vitæ innocentia, morumq; probitate diligentiſsimè parentes pij inſtituerunt.

3. Et quanquam Nicolaus pacis eſſet amantiſsimus, ob inſignem tamen, qua præditus erat, animi corporisq; fortitudinem à magiſtratu iuſſus, cum Heluetijs ſuis quandoq; pro patria militauit: nihil intereà de ſanctis moribus, aut de priſtina ſua manſuetudine ac pietate remittens.

4. Interfuit autem bello Tigurino, quod ſeptenne vocant, admodum quidem pertinaci; minima tamen, pro rerum ſtatu, mortalium clade inſigni. Aderat quoq; cùm Durgéa, fertilis Heluetiæ tractus, à fœderatis ſubigeretur; at negotio facili, & planè incruento. Nec inuenio alia bella, quibus intereſſe potuerit corpore; nam ſpiritu poſteà, dum in Eremo ageret, multis interfuit: Vtp. apud Granſonem, Murten, Nanſium, &c. quibus de prælijs copioſè Nauclerus, Chron. Vol. 2. generat. 50.

Abdicat ſe magiſtratu; DEO eſt deuotiſsimus; & Diaboli infeſtationes patitur: Cap. IV. §. I.

Mvnera ac dignitates, qualeſcunq; ea in repub. ſunt, non deſpexit quidem

dem, ſed acceptare tamen ſibi oblatas nullo pacto voluit. Aliorſum enim ſolitudinis ille dudum conceptus amor trahebat eum. Quarè & Senatorio ordine tẽpeſtiuè ceſsit, & ipſum quoq; Conſulatum (ad quem non ſemel etiam in iuuenili ætate, ob exellentes animi dotes, poſtulatus fuit) ſuis ab humeris totis viribus pepulit.

2. Nempè ſtimulabant eum viſa ac prodigia, quibus ſubinde diuinitus aut probari, aut conſolari, territariùe ſolebat. E quorum numero non eſt poſtremum hoc. Die quadam Nicolaus, cùm iudicia agitarentur, cuidã aſtitit liti, officij gratia: & ecce, videt quoſdam ex Senatoribus ſulphureas flammas, ad ſpectu valdè horribiles, è faucibus efflare; certiſſimum corruptæ fidei, falſiq́; iudicij argumentum. Eo ille ſpectaculo ita commotus fuit, vt nulli poſteà vnquã cauſæ forenſi adeſſe voluerit.

3. Quin & illud indefeſſus agere ſolebat, vt media ſemper nocte circiter, dirupto ſomno clanculum è lecto ſurgeret, reliquamq́; noctis partem deuotis meditationibus, atq; ardenti oratione peruigil tranſigeret.

4. Itaque cum aduerteret malignus dæmon, beatum virum egregios in virtutibus progreſſus continuò facere, veritus ne tandem etiam alijs multis efficeretur cauſa ſa-

lutis,

lutis, qua potuit eum verſutia ſępiſſimè moleſtauit. Præcipuè verò cùm die quadã bonus Colonus, Iohanne filio comitante, iret in fundum ſuum Bergmatt / ſitum in valle (quæ præruptis atq; altiſsimis interjacens montibus, à riuo Melcha ſinuoſo curſu inde prolabente, nomen habet) pecoris viſendi cauſa: Et filius pabulum armentis præberet, velletq́; pater à vepribus rubiſq́; repurgare pratum; adfuit teterrimus hoſtis, arreptumq́; ſubitò nihil tale cogitantem, deorſum per ſpineta ſentesq́; ad paſſus triginta dejecit. Quod vbi filius comperit, quæſitum ſtatim patrem, ſemianimem, totoq́; corpore ſpinarum aculeis miſerè lancinatum inueniens, humeris imponit, atque in fœnile ad focum infert refocillandum. Ibi reſumpto ille paulatim animo, patientiſſimè: Benè quidem, ait, in DEI nomine, quã dirè rractauit me Diabolus? Sed in hoc diuina voluntas adimpleta eſt.

5. Ea patientia animique ſubmiſſione, tantam Nicolaus gratiam apud DEVM & DEIparam virginem conſequutus eſt, vt tametſi eum poſtea impuri ſpirtus ſexcentis etiam machinis acerrimè, & quandoq; viſibiliter oppugnârent, nihil tamen prorſus nocere ei potuerint.

Aliquot viſion- & apparitiones, quibus ei demum perſuaſum fuit, vt mundo penitus valefaceret.

Cap. V. §. I.

CVm alio deinde tempore in pratum Dei homo veniſſet, cœpiſſetq; more ſuo ex intima cordis deuotione ad terram ſedens orare, & attentiſſimis meditationibus animum occupare; vidit ſubitò ex ore proprio candens enatum lilium, quod ad cœlum vſque pertingeret, miramq; redoleret fragrantiam. Sed cùm paulò pòſt armenta (quorum vſu totam ſuſtentabat familiam) tranſirent, & ipſe demiſſo parumper vultu, oculos in equū cæteris præſtantiorem reflexiſſet; lilium quoque ſuo ex ore ſuper equum conſpexit incuruari, atque à prætereunte beſtia deglutiri. Qua viſione didicit, dona cæleſtia ſi miſceantur curis & ſolicitudinibus huius vitæ, non ſecus atq; ſemen verbi Dei, quod inter ſpinas germinat, ſuffocari.

2. Alia vice tres decentis ſtaturæ viri, habitu & moribus quandam maieſtatem præ ſe ferentes, ad illum rebus etiam domeſticis occupatum acceſſêre. Quorum primus huiuſcemodi verba depromit: Nicolae, vis ne totum & ſpiritu & corpore in noſtrā

te dédere poteſtatem? Cui mox ille: Nemini me dedo, ait, niſi omnipotenti Deo, cuius mancipium eſſe, iam diu tota mente deſideraui. Qua audita reſponſione, tres illi ad inuicem conuerſi, in riſum proruperunt. Tum denuò ad eum primus: Si ergò, inquit, ſoli te Deo æternùm mancipaſti, polliceor tibi, quòd vbi ſeptuageſimum ætatis annum compleueris, miſertus laborum tuorum benigniſſimus Devs ab omni te aduerſitatum ærumna liberabit: Quarè te ad conſtantem interim exhortor perſeuerantiam; daboq; tibi vexillum vrſina branca inſignitum, quod valido exercitui præferas in vita æterna: Crucem quoq; in noſtri memoriam tibi relinquo bajulandam. Atq; his ita peractis, tres illi abiêre. Qui vnde aut quales fuerint, Deo notum.

3. Neque fide caret, quod ad ſecandum fœnum prædium ſuũ Melchy petenti, conſtat eueniſſe. Dum enim inter eundum diuinam gratiam feruentius imploraret, nubes cælo delapſa reſpondit: Imprudenter illum agere, ſi proprijs nixus viribus, Dei ſe voluntati ſubderet inuitum, cùm nihil ipſi Deo ſit voluntario obſequio acceptius. Ea igitur voce perculſus, cœpit deinceps, ſpretis, quibus operam eatenus impenderat, rebus domeſticis, ſeſe totum ad cœleſtia accommodare.

Diſcedit ab vxore, & ſupernaturalem abſtinentiam inchoat.

CAP. VI. §. I.

CÆterùm eouſq; amicus DEI diuino impulſu agitatus fuit, vt nec totus terrarũ orbis ipſius capax eſſe poſſe videretur. Quarè dilectæ Coniugi ſuæ rem fidenter aperit; Habere ſe nimirùm in animo, poſtpoſitis mundi illecebris, locum aliquẽ ſoli contemplationi idoneũ in Eremo quærere; idq; ad hypocriſis ſuſpicionẽ euitandam, apud exteros; tranquilla ſe amplius conſcientia inter homines viuere nõ poſſe; aſſentiret ergò ſuis votis,& liberam abeundi facultatem per Chriſtum concederet. Quod vbi ſæpè ac ſæpius à Coniuge efflagitaſſet, ipſa tandem DEI perculſa timore, nolens volens ſanctiſſimo mariti deſiderio indulſit.

2. Itaq; anno à partu virgineo M.CCCC. LXVII. menſe Septembri, ætatis ſuæ anno ſemidequinquageſimo primo, relictis vxore & liberis, omnibusque quas poſſederat facultatibus, vt Chriſtum nudum ac pauperem, pauper ipſe ac nudus ſequeretur, è cognatione ſua & patrio ſolo egreſſus, profectionem rectà Baſileam, ampliſſimam Rauracorum vrbem verſus inſtituit. Quo in itinere, cùm Iura ſiue Iuraſſo monte ſuperato, ad

to, ad Liechſtal agri Baſileenſis oppidulum appuliſſet, totum illud ominoſo portento rufum apparuit: (is quippè tractus Caluiniſmi ſanguine rubricandus olim erat) Quarè perterritus Nicolaus properè inde diſcedit, & in villa quadam ruri diuerſatur: Vbi multo ſermone cum villico vltrò citroq; habito, voluntarij exilij ſui rationem exponit: Quam ille piam quidem & iuſtam aſſerens, minus tamen conſultè initam ea potiſſimùm cauſa exiſtimabat, quòd ex Heluetiorum Fœdere oriundus Nicolaus eſſet: Multò proinde fore ſatius, intra patrias latebras Deo vacare, quàm apud alienos profugum fortè cenſeri.

3. His ille motus conſilijs & vocibus, mox eodem veſpere ſalutato villico abſcedens, in vicino campo ſub dio pernoctauit. Vbi poſt oblatas Deo preces, anxiè ſecum, quònam terrarum confugere expediret, deliberare cæpit. Itaq; talia cum mœrore perpendentē ſomnus arctior corripit: cumq; pauliſper dormiuiſſet, exortus ſubitò de cœlo ſplendor virum circumuenit; quo ſe tanto ſenſit dolore affici, ac ſi ſibi cultro venter aperiretur: Putabat quoq; ſe verſus Vnderualdiam valido ceu fune trahi. Ex quo demùm intellexit, velle Devm, vt in patriam reuerteretur.

4. Et quod veriſimillimum eſt, eo ipſo in loco ac tempore (vt Album Saxlenſe perhibet, & hiſtoriæ probat collatio) ſupernaturalis ſuæ abſtinentiæ initium fecit.

5. Expergefactus igitur, ſummo mane iter (bidui nimirùm) vnde venerat, repetit; ſed ita tamen, vt contemptis, quibus iam abiens renunciârat, familiaribus impedimentis, clàm in fundum ſuum (quod ſitum in valle Melchæ Klüſter nuncupatur) concito gradu pergeret, atq; ibi inter vel poſt denſas veprium ſpinas, ſub præalta & vmbroſa Larice, octo continuos dies abſq; cibi & potus alimento, nulli hominum conſcius latitaret.

Proditur à Venatoribus; comprobatur à Sacerdote; locusq́ habitationis diuinitus ei deſtinatur.

Cap. VII. §. I.

Octiduo elapſo, amicus Dei à Venatoribus feras inſectantibus caſu inuentus, Petro fratri eius germano oſtenditur. Is vt erat illi chariſsimus, qua potuit humanitate hominem hortatur, ne ſe fame perimat. Cui Nicolaus; minimè, inquit, deinceps, cùm hactenus non defecerim.

2. Ne

2. Ne tamen plus ſibi ſapere quàm oporteret, neúe DEVM tentare velle videretur; honeſtum, ſibiq́; dilectum Sacerdotem, cui Oſualdo Iſnero nomen, Parochum Kernſianum, clam adſciſcit, eiq́; ſecretum hoc aperit; quòd iam ad vndecimum diem abſq; famis ac ſitis moleſtia, ſine corporali nutrimento, per DEI gratiam perdurârit: conſuleret ergò paternè, ea in re quid vlterius agendum!

3. Sacerdos rei nouitate attonitus, cœpit manus ac pedes eius vndiq́; palpitare, totamque faciem intenſius contemplari: cumq́; tam pallidum os, tenuesq́; genas, & arida labra, atq; ipſum corpus macilentum vix cute contegi videret; ratus, non vana ſuperſtitione, ſed diuino potius inſtinctu id eueniſſe; perſuaſit homini, vt DEI implorato auxilio, ea ſe inedia diutius exerceret. Quod cùm ille forti aggrederetur animo, ſupernaturalem illam ac penè Angelicam abſtinentiam ad extremum vſq; halitum, id eſt, ſemi de Viginti annos rariſsimo maximoq́; naturæ miraculo continuauit.

4. Cæterùm ſummo ei fuerat pretio redimendum, vt ſub optatiſsima Larice ſua latitare, atq; vni DEO ſuo vacare cum pace potuiſſet. Verùm moleſtante eum Operariorum haud procul inde fruteta ſiluasq́; excidentium turba; cogitauit in ipſa valle

remotiora atq; magis auia deſerta quærere. Vtq; diu multumq́; cauernas & ſalebroſas ſpecus perluſtrauit, vidit tandem inſtar quatuor ardentium candelarum lucentes radios in eam Conuallem, quam ipſi Ranfft appellant, cœlitùs deſcendere. Quibus demùm indicijs certò cognouit, locum hunc in habitationem ſibi diuinitùs deſtinatum.

5. Eſt autem eremus Ranfft infima vallis Melchæ pars, inter præruptos Saxlenſem & S. Nicolai montes ſita. Locus inamœnus ac horridus, quâ vario arborum ſilueſtrium genere, quâ ſentibus & Virgultis, quæ ob fluidas cliuorum vligines extirpari haud commodè poſſunt, densè obſitus: quem etiam Melcha riuus (flumen verius dicerem) rapido præterlabens curſu, immani complet murmure; vt ita lachrymarum vallem, locumq́; pœnitentiæ præ ſe ferre, naturâ videatur.

Conſtruit ſibi Eremitorium, & cuſtoditur ne quis cibum ei deferat.

Cap. VIII. §. I.

VENIENS igitur illuc, cœpit vicinorum auxilio ligneam domunculam parare ſibi. In qua cùm per annum ferè habitaſſet, videntes Vnderualdij ciues, non hypocriti-

critica ſimulatione aut fanatico ſpiritu DEI ſeruum agitari; publicis ſumptibus ibidem elegans Sacellum in DEIparæ Virginis honorem extruxerunt. Ad faciem quoque ædiculæ nouam Cellam, ex abietibus vſitato opere contignatam, ita adiunxerunt, vt abditus in ea DEI homo latitare, atq; in ipſam Sacelli aram intueri opportunè poſſet. Quod ædificium vbi abſolutum erat, boni illi bono Ciui ſuo liberè donauêre.

2. Ingreſſus itaq; venerabilis Pater nouum domicilium, diuino ſe Numini de nouo mancipauit. Neq; dictu facile eſt, quibus illîc ſe laboribus, vigilijs, &c. reliquo vitæ ſpacio perdius pernoxque afflictârit. Cellulæ eius (quæ hodieq; viſitur) longitudo erat pedum decem ac ſemis, latitudo nouem & dimidij, altitudo pedum non amplius ſex: in qua ipſe ob ſtaturæ proceritatem erectus ſtare vix poſſet; duabas feſtrellis, pedalibus fermè, lumen præbentibus. Protenſus porrò ſuper duo ſcabella aſſer, eius lectus fuit; & trunculus ceruicale. Tunica ſimplici, lanea ac talari, eiuſdem penè & coloris & formæ qua Saluatoris toga depingi ſolet, vtebatur: pedibus & capite ſemper nudus. De balneis, nouacula & pectine nihil ei in mentem. Scipione ob procliues montium ſemitas vtebatur. Teſſeram quoq; Chriſtiani homines (co-

ronam dico, ſeu Roſarium) quocunq; iret, in manibus geſtabat.

3. Crebreſcente igitur apud accolas inſolitæ Viri abſtinentiæ & cõuerſationis fama, cœperunt pro ſuo quiſq; arbitratu rem interpretari: alijs diuinæ id quidem prouidentiæ, alijs verò ſimulationi fraudiq; adſcribentibus. Quarè ex Senatûs decreto vigiles conducuntur, qui totam conuallem Ranfft circumquaq; obſideant, ne cuiquam hominum ad Dei ſeruum pateret aditus. Cumq; eas excubias per integrum menſem tenuiſſent, nihil omninò falſi fucatiue in Dei homine inuenerunt.

Inuiſitur & comprobatur ab Epiſcopis: Sacellum eius Indulgentijs, donisq; Principum decoratur.

Cap. IX. §. I.

SED ne fortaſsis Vnderualdenſes de tanto Dei dono falſò apud exteros gloriari putarentur; accitus eſt Reuerendiſſ. Dn. Thomas Epiſcopus Aſcalonienſ. Illuſt.mo Dn. Hermanno Conſtantienſ. Pontifici à Suffragijs. Qui vbi eremiticum Sacellum loci Ranfft Deo in memoriam B. Mariæ Virginis, S. Mar. Magdalenæ, Decem millium Martyrum, & S. Crucis, ſacris ritibus conſecraſſet; ingreſſus Nicolai domicilium,

cilium, non minimam diei partem cum eo diuinis de rebus diſputando abſumpſit.

2. Inter cætera verò quæſtionem ei de omnium Virtutum maxima proponit; quā cum Nicolaus OBEDIENTIAM eſſe reſponderet, arripiens mox Præſul panem & Vinum, quæ tentandi eum gratiâ ſecum attulerat; tres buccellas ſub Obedientiæ merito comedere iuſsit. Nolens igitur Nicolaus Antiſtis præcepto reluctari, veritus tamen rei ex longa diſſuetudine grauitatem, precibus obtinuit, vt vnam duntaxat in tres diuiſam particulas ſumere liceret: quibus permaxima difficultate comeſtis, vini quoque pauxillum non ſine nauſea exſorpſit. Vnde attonitus Præſul, virum apprimè probum enunciat; perhibens etiam, ſe non auſu proprio, ſed iuſſu Illu.mi Principis ſui tale de illo feciſſe periculum. Et hæc quidem geſta ſunt, anno M. CCCC. LXIX. die XXVII. Aprilis; cum iam Nicolaus angelicam ſuam abſtinentiam in ſeſquiannum produxiſſet.

3. Breui pòſt Hermannus Illuſtriſsimus binos ſexpedales, pondoq; ingentis, ex aurichalco conflatos Lychnos, cum bona pecuniarum ſumma, Eremitæ noſtro miſit Conſtantiâ, dicauitq;: cur, & quo animo, iam nemo interroget. Candelabra ergò ante ſummam Eccleſiæ Saxlenſis aram Nicolai

colai iuſſu collocata: argento in rem Sacelli eremitici coëmptum eſt paſcuum elegans, quod ſitum in valle Melchæ, vulgò Luſs appellatur, alitq; per æſtatem XV. capita boum. Atq; hic fundus paucis pòſt annis primum Sacerdotij in Ranfft extitit fundamentum.

4. Cæterùm ædiculam Nicolai iam dedicatam, pulchraq; ornatam dote, Indulgentijs quoque ornari decuit. Quocircà miſsis Romam Legatis Vnderualdenſibus, ex purpuratorum Patrum numero Cardinales ſexdecim (quorum primus Guillermus Oſtienſis, alter Latinus Tuſculanus, tertius Philippus Albanenſ. Epiſcopi, &c.) ſat largis Nicolai noſtri ſacellum ritè colentes munerati Indulgentijs, diploma præclarum, ſedecim ſuis maioribus ſigillis munitum, dederunt: Romæ, Anno M. CCCC. LXX. Indict. III. die XVIII. April. Pontificat. PAVLI II. anno VI. Quæ Romana anno eodem viſa & ratihabita eſt à memorato Dn. Hermanno Ep. Conſt. dieq; XIII. Octobr. noua atq; eleganti Bullâ aucta: Notario Conrado Armbroſter. Iamq; triennium exegerat vir DEI jeiunus.

5. Haud multo pòſt, Hermanno rebus humanis exempto, Conſtantienſi Cathedræ Ottho præficitur. Hic rumore nuncio excitus, vt rei veritatem coràm intueretur,

ipſus-

ipſusmet ad felicem virum in Vnderraldiam profectus eſt. Vbi hominis venerandus conſpectus, & morum probitas, ſolidaq; religio, ac penè Angelica in terris conuerſatio, adeò Principis animum permulſit; vt ipſe ſibi totiq; Diæceſi ſuæ non poſſet non plurimùm gratulari, de tam excellenti Eremita ac dono DEI: quippè ob cuius merita & ſanctitatē proſperrimos quoſq; rerũ ſucceſſus ſuo ſibi in Epiſcopatu pollicererur.

6. Conſtans igitur tam euidentis in Eremita hoc miraculi fama, dum per Germaniam ſtrenuè vagatur, maturè ad Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ peruenit aures. Is, vt ſua eum admonebat pietas, adſtipulante Heleonora, Scotiæ regis filia, coniuge ſua, optimum factu eſt ratus, tanti viri ſe ſuosq; commendare precibus. Ideoq; ſacrum DEIparæ virginis eiusque famuli Sacellum in Ranfft, Calice argenteo inaurato formæ, pondo & magnitudinis eximiæ; inſuper Miſſali membraneo, ornamentiſq; ac ſupellectilibus alijs ad cultum diuinum pertinentibus, egregiè decorauit, anno eius ſæculi, LXXIII. Munus vt inſigne, ita fœlix fuit. Hoc ſiquidem anno inueteratum illud odium, quo Heluetia Auſtriaq; hoſtiliter quàm longos annos flagrârant, radicitùs euulſum, & quaſi diuina manu abſterſum eſt adeò, vt & Sigiſmundus æternum

ac

ac hæreditarium (vt vocant) amicitiæ fœdus iniret cum Heluetijs, ciueſque nó paucos Lucernates in Conſiliarios ſuos legeret: quod ego miraculo factum per B. Nicolai merita credo vel maximè.

7. Tantum autem pecuniæ ex aduenarum accolarumq; donis congeſtum eſt, vt anno M.cccc. LXXVII, hoc eſt, in medio eremiticæ Nicolai vitæ curſu, honeſtum Sacerdotium in conualle Ranfft cóſtitueretur. Atq; illi Petrus Bachtalerus Sacerdos bonus ac ſimplex præfectus.

Nobilis quidam Bauarus, fit Nicolai ſocius. CAP. X. §. I.

PER id ferè tempus, vir nobilis Vdalricus (gentilitium nomen non traditur) è Bauaria in Vnderualdiam ſe contulit, Nicolai viſendi cauſa. Quem cùm aliquandiu familiariter quotidiè conueniſſet, tandem exemplo eius & doctrina ad DEI amorem inflammatus eſt adeò, vt ſpretis mundi vanitatibus, rebusq; ſuis relictis, aliud iam nihil cuperet, quàm vnà cum Nicolao, Chriſto deinceps in eremo militare, & ſobrietatem Angelicam, quoad eius fieri poſſet, imitari. Itaq; tali incenſus deſiderio, Virum DEI fidenter adit, multisq; interpoſitis

poſitis precibus, ægrè tandem in conſortium eius admittitur.

2. Erat in Ranfft proximè Sacelli ſedem tuguriolum, ipſi primùm Nicolao, ac dein Iohanni eius loci æditauo habitatum. Id Vdalricus iuſſu Nicolai occupat; inibiq́; magno miraculo primos tredecim continuos dies abſq; cibi & potûs vſu, ſoli contemplationi deditus, tranſegit; idq́; ſine omni famis aut ſitis moleſtia. Quo elapſo tempore, Nicolaus panem, quem illius cauſa ad ſe deferri curauerat, infringens, dimidium Vdalrico porrigit, mandatq́; vt riuo Melchæ (quem illîc præterlabi diximus) intinctum comedat. Ille ſtatim obediens, collatum fruſtum accipit, & vt iuſſus fuerat, reluctante quamuis gula, manducat. Porrò poſtridiè, cum de reliqua panis parte ſimiliter actitatum eſſet; tanta mox eſuries hominem inuaſit, vt vix vnquam ſatisfacere appetitui poſſe videretur. Quod vbi Nicolaus futurum ſciuiſſet, fecit interim, vt vxoris ſuæ miniſterio cibus illi abundans mitteretur.

3. Saturatus itaq; Vdalricus, rogare magiſtrum ſuum cœpit, cur ſe non paſſus fuiſſet, in tali abſtinentia diutius perſeuerare? reſpondit Nicolaus: quia ſufficiebat, nam DEI ſic diſpoſitum erat voluntate. Id quem in finem, mi Lector conſidera; nempè, vt

miracu-

miraculoſo dierum tredecim jejunio, angelica ſemideuiginti annorum ſobrietas, ceu ſigillo obfirmaretur.

4. His geſtis, Vdalricus, reſtituta Iohanni æditu o habitatione ſua, aſcendit propinquum illum collem, cui Möſly nomen, è regione Ranfft trans Melcham ſitum. Ibi ſuaſu Nicolai ſub rupe concaua manſiunculam parauit ſibi: porrò juxta eandem ſpecum ipſe anno M. CCCC. LXXXIV. exædificauit Sacellum tribus cum Aris, opere ac forma egregium, in honorem SSS. Michaëlis Archangeli, Bartholomæi Apoſtoli, & Annæ auiæ Domini dedicandum. Inibi deuotiſſimus homo, tametſi corporeo ſine nutrimento victitare non poſſet, corpuſculum tamen ſuum aſperrimè domitabat; ſaxeo nimirùm ſtrato, vigilijs, orationibus, jejunijs, varijsq; aduerſus Cacodæmones certaminibus. Quo de Vdalrico in ſequentibus plura.

Nicolai dapes & alimenta; eiusq; in Venerab. Sacramentum religio.

Cap. XI. §. I.

Admirantibvs autem non ab re omnibus, ad quorum aures vulgatus hic rumor de diuturno illo ac penè angelico

gelico Nicolai jeiunio penetrauerat; quid demùm hominem ſupra naturæ vim absq; cibi ac potûs alimonia ſuſtentaret! myſterium tandem fido Sacerdoti Oſualdo Iſnero (cuius ſuprà meminimus, cap. 7. §. 2.) ipſus vir DEI post multiplices Oſualdi ‟ preces explicuit; nimirum, quum diuino ‟ interſit Sacrificio, videatq; illic Presbyte- ‟ rum Corpori & Sanguini Chriſti commu- ‟ nicare; ſentire ſe ac percipere miram ex ea ſumptione confortationem.

2. Nonnullis quoq; alijs idipſum inſtanter ſciſcitantibus, reſpondit: In paſsionis Chriſti meditatione; maximè dum ago- ‟ nem Domini, id eſt, ſanctiſsimæ Animæ à ‟ Corpore benedicto ſeparationem, interio- ‟ ris hominis oculis intueatur; ineffabili cor ‟ ſuum perfundi dulcedine; qua deinde confortatus, communis Vitæ nutrimentis facillimè careat.

3. Re ipſa porrò ſacroſanctam Euchariſtiam ſingulis primùm ſolennioribus Feſtis, è manibus Ioan. Burchardi de Lenzingen, Eccleſiæ Saxienſ. per annos XXIV. paſtoris; ac deinde ſingulis menſibus à Petro Bachtalero primo Eremi Ranfft Capellano, poſt vniuerſas vitæ ſuæ labes ſacramentali confeſsione abſterſas, ardenti reuerentia ac deuotione ſumpſit; idque ritu Catholico, ſub vna ſpecie tantùm.

4. Vt ita iam & vulgo pateat, quæ demùm Nicolao dapes, quæ alimenta fuerint; ſcilicèt, Angelorum panis (quem ille ſpiritualiter quidem quotidiè, ſtatis verò temporibus etiam ſacramentaliter percipiebat) cum Calice Paſsionis Domini coniunctus.

5. Id quod Scriptor etiam Faſciculi temporum, anno M. CCCC. XCI. Argentinæ editi, perſpicuè inſinuat. [Heremita quidam deuotus (ait author) in partibus Suiçerorum, prope Vnderualden, in magna humilitate SOLO CORPORE DOMINICO ſingulis Menſibus refectus, XV. annis & vltrà, abſq; corporali cibo vixit.] Hæc ibi.

6. Et Henricus Glareanus, in Carmine panegyrico; quod in laudem Heluetiorum, anno M. D. XVI. Baſileæ edidit; pulcherrimè.

Siluanam gentem ROMANO ſanguine cretam,
Quam ſcindit geminam nemoroſo robore Silua,
Quis dignè ſatis extollat? Cui lucidus aër,
Lucidaq; amne loca, & fœcundo gramine campi;
Miles & in iaculis, & longâ turbidus haſta:
Libertatis honos, & priſcæ gloria ROMAE,
" *Huicq; eſt (mirandum) vaſtæ pius Incola Eremi*
" *Nicoleos, ferè Viginti qui ſobrius Annis*
" *Nil potiùs eſusq; tulit, Myſteria cœli*
" *Edoctus, ſacro viuebat Corpore Chriſti,*

O ſtupenda tua bone IESV opera!

Conſue-

Conſuetudo eius ac pietas.

Cap. XII. §. I.

EAM porrò conſuetudinem habebat, vt primam diei partem à media nocte ad meridiem vſq;, oratione ſacrisq; contemplationibus conſumeret. Prodibat deinde ad auram; & ſi quando conſultum videbatur, prominentem ex aduerſo cliuum aſcendens, dilectum Vdalricum ſuum (quo de ſuprà) viſitabat. Ibi illi arcana ſenſuum mutua ac ſincera animorum liberalitate detegendo, longum ſæpè miſcuêre ſermonem.

2. Inter cætera autem Dei vir amico ſuo mortis ſuæ horam, vti eam ex tribus illis (quod ſuprà oſtendimus, cap. 5.) didicerat, reuelauit. Quā Vdalricus quidem tacitus ſecum conſiderans, pluribus etiam annis ſilentio tegebat.

3. Porrò priuſquam Capellania ſeu Sacerdotium certum in Eremo Ranfft conſtitueretur, Nicolaus ſingulis Dominicis feſtisq; diebus ad Eccleſiam Saxlenſem (licèt ab Eremo paſſus vltra mille abeſſet) Miſſā auditum impigrè itabat: hebdomadatim quoq; minimùm ſemel in Sacello eremi ſalutare Deo Opt. Max. libabatur Sacrum, cui maxima ſemper deuotione ipſe intererat. Deinde verò cum Sacerdos in eremo habi-

ronam dico, ſeu Roſarium) quocunq; iret, in manibus geſtabat.

3. Crebreſcente igitur apud accolas inſolitæ Viri abſtinentiæ & couerſationis fama, cœperunt pro ſuo quiſq; arbitratu rem interpretari: alijs diuinæ id quidem prouidentiæ, alijs verò ſimulationi fraudiq; adſcribentibus. Quarè ex Senatûs decreto vigiles conducuntur, qui totam conuallem Ranfft circumquaq; obſideant, ne cuiquam hominum ad DEI ſeruum pateret aditus. Cumq; eas excubias per integrum menſem tenuiſſent, nihil omninò falſi fucatiúe in DEI homine inuenerunt.

Inuiſitur & comprobatur ab Epiſcopis: Sacellum eius Indulgentijs, donisq́ Principum decoratur.

CAP. IX. §. I.

SED ne fortaſsis Vnderualdenſes de tanto DEI dono falſò apud exteros gloriari putarentur; accitus eſt Reuerendiſſ. Dn. Thomas Epiſcopus Aſcalonienſ. Illuſt.mo Dn. Hermanno Conſtantienſ. Pontifici à Suffragijs. Qui vbi eremiticum Sacellum loci Ranfft DEO in memoriam B. Mariæ Virginis, S. Mar. Magdalenæ, Decem millium Martyrum, & S. Crucis, ſacris ritibus conſecraſſet; ingreſſus Nicolai domicilium,

cilium, non minimam diei partem cum eo diuinis de rebus diſputando abſumpſit.

2. Inter cætera verò quæſtionem ei de omnium Virtutum maxima proponit; quã cum Nicolaus OBEDIENTIAM eſſe reſponderet, arripiens mox Præſul panem & Vinum, quæ tentandi eum gratiâ ſecum attulerat; tres buccellas ſub Obedientiæ merito comedere iuſsit. Nolens igitur Nicolaus Antiſtis præcepto reluctari, veritus tamen rei ex longa diſſuetudine grauitatem, precibus obtinuit, vt vnam duntaxat in tres diuiſam particulas ſumere liceret: quibus permaxima difficultate comeſtis, vini quoque pauxillum non ſine nauſea exſorpſit. Vnde attonitus Præſul, virum apprimè probum enunciat; perhibens etiam, ſe non auſu proprio, ſed iuſſu Illu.mi Principis ſui tale de illo feciſſe periculum. Et hæc quidem geſta ſunt, anno M. CCCC. LXIX. die XXVII. Aprilis; cum iam Nicolaus angelicam ſuam abſtinentiam in ſeſquiannum produxiſſet.

3. Breui pòſt Hermannus Illuſtriſsimus binos ſexpedales, pondoq; ingentis, ex aurichalco conflatos Lychnos, cum bona pecuniarum ſumma, Eremitæ noſtro miſit Conſtantiâ, dicauitq;: cur, & quo animo, iam nemo interroget. Candelabra ergò ante ſummam Eccleſiæ Saxlenſis aram Nicolai

çolai iuſſu collocata: argento in rem Sacelli eremitici coëmptum eſt paſcuum elegans, quod ſitum in valle Melchæ, vulgò Luſs appellatur, alitq; per æſtatem XV. capita boum. Atq; hic fundus paucis pòſt annis primum Sacerdotij in Ranfft extitit fundamentum.

4. Cæterùm ædiculam Nicolai iam dedicatam, pulchraq; ornatam dote, Indulgentijs quoque ornari decuit. Quocircà miſsis Romam Legatis Vnderualdenſibus, ex purpuratorum Patrum numero Cardinales ſexdecim (quorum primus Guillermus Oſtienſis, alter Latinus Tuſculanus, tertius Philippus Albanenſ. Epiſcopi,&c.) ſat largis Nicolai noſtri ſacellum ritè colentes munerati Indulgentijs, diploma præclarum, ſedecim ſuis maioribus ſigillis munitum, dederunt: Romæ, Anno M. CCCC. LXX. Indict. III. die XVIII. April. Pontificat. PAVLI II. anno VI. Quæ Romana anno eodem viſa & ratihabita eſt à memorato Dn. Hermanno Ep. Conſt. dieq; XIII. Octobr. noua atq; eleganti Bullâ aucta: Notario Conrado Armbroſter. Iamq; triennium exegerat vir DEI ieiunus.

5. Haud multo pòſt, Hermanno rebus humanis exempto, Conſtantienſi Cathedræ Ottho præficitur. Hic rumore nuncio excitus, vt rei veritatem coràm intueretur, ipſus

ipſuſmet ad felicem virum in Vnderraldiam profectus eſt. Vbi hominis venerandus conſpectus, & morum probitas, ſolidaq; religio, ac penè Angelica in terris conuerſatio, adeò Principis animum permulſit; vt ipſe ſibi totiq; Diæceſi ſuæ non poſſet non plurimùm gratulari, de tam excellenti Eremita ac dono DEI: quippè ob cuius merita & ſanctitatē proſperrimos quoſq; rerū ſucceſſus ſuo ſibi in Epiſcopatu pollicererur.

6. Conſtans igitur tam euidentis in Eremita hoc miraculi fama, dum per Germaniam ſtrenuè vagatur, maturè ad Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ peruenit aures. Is, vt ſua eum admonebat pietas, adſtipulante Heleonora, Scotiæ regis filia, coniuge ſua, optimum factu eſt ratus, tanti viri ſe ſuosq; commendare precibus. Ideoq; ſacrum DEIparæ virginis eiusque famuli Sacellum in Ranfft, Calice argenteo inaurato formæ, pondo & magnitudinis eximiæ; inſuper Miſſali membraneo, ornamentiſq; ac ſupellectilibus alijs ad cultum diuinum pertinentibus, egregiè decorauit, anno eius ſæculi, LXXIII. Munus vt inſigne, ita fœlix fuit. Hoc ſiquidem anno inueteratum illud odium, quo Heluetia Auſtriaq; hoſtiliter quàm longos annos flagrârant, radicitùs euulſum, & quaſi diuina manu abſterſum eſt adeò, vt & Sigiſmundus æternum

ac

ac hæreditarium (vt vocant) amicitiæ fœdus iniret cum Heluetijs, ciueſque nó paucos Lucernates in Conſiliarios ſuos legeret: quod ego miraculo factum per B. Nicolai merita credo vel maximè.

7. Tantum autem pecuniæ ex aduenarum accolarumq́; donis congeſtum eſt, vt anno M.cccc.LXXVII, hoc eſt, in medio eremiticæ Nicolai vitæ curſu, honeſtum Sacerdotium in conualle Ranfft cóſtitueretur. Atq; illi Petrus Bachtalerus Sacerdos bonus ac ſimplex præfectus.

Nobilis quidam Bauarus, fit Nicolai ſocius. Cap. X. §. I.

PER id ferè tempus, vir nobilis Vdalricus (gentilitium nomen non traditur) è Bauaria in Vnderualdiam ſe contulit, Nicolai viſendi cauſa. Quem cùm aliquandiu familiariter quotidiè conueniſſet, tandem exemplo eius & doctrina ad Dei amorem inflammatus eſt adeò, vt ſpretis mundi vanitatibus, rebusq́; ſuis relictis, aliud iam nihil cuperet, quàm vnà cum Nicolao, Chriſto deinceps in eremo militare, & ſobrietatem Angelicam, quoad eius fieri poſſet, imitari. Itaq; tali incenſus deſiderio, Virum Dei fidenter adit, multisq; interpoſitis

poſitis precibus, ægrè tandem in conſortium eius admittitur.

2. Erat in Ranfft proximè Sacelli ſedem tuguriolum, ipſi primùm Nicolao, ac dein Iohanni eius loci ædituo habitatum. Id Vdalricus iuſſu Nicolai occupat; inibiq; magno miraculo primos tredecim continuos dies abſq; cibi & potûs vſu, ſoli contemplationi deditus, tranſegit; idq; ſine omni famis aut ſitis moleſtia. Quo elapſo tempore, Nicolaus panem, quem illius cauſa ad ſe deferri curauerat, infringens, dimidium Vdalrico porrigit, mandatq; vt riuo Melchæ (quem illîc præterlabi diximus) intinctum comedat. Ille ſtatim obediens, collatum fruſtum accipit, & vt iuſſus fuerat, reluctante quamuis gula, manducat. Porrò poſtridiè, cum de reliqua panis parte ſimiliter actitatum eſſet; tanta mox eſuries hominem inuaſit, vt vix vnquam ſatisfacere appetitui poſſe videretur. Quod vbi Nicolaus futurum ſciuiſſet, fecit interim, vt vxoris ſuæ miniſterio cibus illi abundans mitteretur.

3. Saturatus itaq; Vdalricus, rogare magiſtrum ſuum cœpit, cur ſe non paſſus fuiſſet, in tali abſtinentia diutius perſeuerare? reſpondit Nicolaus: quia ſufficiebat, nam DEI ſic diſpoſitum erat voluntate. Id quem in finem, mi Lector conſidera; nempè, vt

miracu-

miraculoſo dierum tredecim jejunio, angelica ſemideuiginti annorum ſobrietas, ceu ſigillo obfirmaretur.

4. His geſtis, Vdalricus, reſtituta Iohanni æditio habitatione ſua, aſcendit propinquum illum collem, cui Mößly nomen, è regione Ranfft trans Melcham ſitum. Ibi ſuaſu Nicolai ſub rupe concaua manſiunculam parauit ſibi: porrò juxta eandem ſpecum ipſe anno M. CCCC. LXXXIV. exædificauit Sacellum tribus cum Aris, opere ac forma egregium, in honorem SSS. Michaëlis Archangeli, Bartholomæi Apoſtoli, & Annæ auiæ Domini dedicandum. Inibi deuotiſſimus homo, tametſi corporeo ſine nutrimento victitare non poſſet, corpuſculum tamen ſuum aſperrimè domitabat; ſaxeo nimirùm ſtrato, vigilijs, orationibus, jejunijs, varijsq; aduerſus Cacodæmones certaminibus. Quo de Vdalrico in ſequentibus plura.

Nicolai dapes & alimenta; eiusq; in Venerab. Sacramentum religio.

CAP. XI. §. I.

ADMIRANTIBVS autem non ab re omnibus, ad quorum aures vulgatus hic rumor de diuturno illo ac penè angelico

gelico Nicolai jeiunio penetrauerat; quid demùm hominem ſupra naturæ vim absq; cibi ac potûs alimonia ſuſtentaret! myſterium tandem fido Sacerdoti Oſualdo Iſnero (cuius ſuprà meminimus, cap. 7. §. 2.) ipſus vir Dei post multiplices Oſualdi " preces explicuit; nimirum, quum diuino " interſit Sacrificio, videatq; illic Presbyte- " rum Corpori & Sanguini Chriſti commu- " nicare; ſentire ſe ac percipere miram ex ea ſumptione confortationem.

2. Nonnullis quoq; alijs idipſum inſtanter ſciſcitantibus, reſpondit: In paſsionis Chriſti meditatione; maximè dum ago- " nem Domini, id eſt, ſanctiſsimæ Animæ à " Corpore benedicto ſeparationem, interio- " ris hominis oculis intueatur; ineffabili cor " ſuum perfundi dulcedine; qua deinde confortatus, communis Vitæ nutrimentis facillimè caneat.

3. Re ipſa porrò ſacroſanctam Euchariſtiam ſingulis primùm ſolennioribus Feſtis, è manibus Ioan. Burchardi de Lenzingen, Eccleſiæ Saxienſ. per annos XXIV. paſtoris; ac deinde ſingulis menſibus à Petro Bachtalero primo Eremi Ranfft Capellano, poſt vniuerſas vitæ ſuæ labes ſacramentali confeſsione abſterſas, ardenti reuerentia ac deuotione ſumpſit; idque ritu Catholico, ſub vna ſpecie tantùm.

Conſuetudo eius ac pietas.

CAP. XII. §. I.

EAM porrò conſuetudinem habebat, vt primam diei partem à media nocte ad meridiem vſq;, oratione ſacrisq; contemplationibus conſumeret. Prodibat deinde ad auram; & ſi quando conſultum videbatur, prominentem ex aduerſo cliuum aſcendens, dilectum Vdalricum ſuum (quo de ſuprà) viſitabat. Ibi illi arcana ſenſuum mutua ac ſincera animorum liberalitate detegendo, longum ſæpè miſcuêre ſermonem.

2. Inter cætera autem DEI vir amico ſuo mortis ſuæ horam, vti eam ex tribus illis (quod ſuprà oſtendimus, cap. 5.) didicerat, reuelauit. Quã Vdalricus quidem tacitus ſecum conſiderans, pluribus etiam annis ſilentio tegebat.

3. Porrò priuſquam Capellania ſeu Sacerdotium certum in Eremo Ranfft conſtitueretur, Nicolaus ſingulis Dominicis feſtisq; diebus ad Eccleſiam Saxlenſem (licèt ab Eremo paſſus vltra mille abeſſet) Miſſã auditum impigrè itabat: hebdomadatim quoq; minimùm ſemel in Sacello eremi ſalutare DEO Opt. Max. libabatur Sacrum, cui maxima ſemper deuotione ipſe intererat. Deinde verò cum Sacerdos in eremo habi-

tare cœpit proprius, nō Dominicis tantùm, feſtisq;, ſed & priuatis diebus omnibus ſacra fiebant; ideoq; Nicolaus noſter Eremita in publicum, niſi vt Indulgentias aliquando lucriſaceret, non prodibat.

4. Eum verò haud diu ante quàm expiraret, inclytæ illi Lucernenſium proceſsioni, quæ pridiè Annunciationis Deiparę ſolenni annuatim & incredibili pompa celebratur, nec non inſequenti mox triduano Iubilæo ſacro, interfuiſſe, certiſsima habemus argumenta, ſed quæ breuitatis ſtudio hîc præterimus. Diſtat autem Lucerna ab Eremo Ranfft duodecim circiter paſſuum millibus.

5. Porrò cibi potusúe licet nihil omninò caperet, vires tamen corporeæ in eo nihil prorſus deficiebant. Ibat, redibat, itinera ſat longa perficiebat; idq; nudis pedibus, mēte alacri, vultu ſereno, proſpera ſemper ac viuida valetudine; Inſignia beatæ æternitatis in corpore ſuo circumferens.

Concertationes eius cum Dæmoniis: & quàm deuotus fuerit B. Mariæ Virgini. CAP. XIII. §. I.

QVIS verò eius cùm Cacodæmonibus certamina dicendo conſequi poſsit?

Perſæpè tanto fragore domunculam eius impetiêre, vt tota eius machina ſubitam quaſi ruinam minitari videretur. Nonnunquam horrida ingreſsi ſpecie, capillis apprehenſum forâs traxêre. Sed vbi vi athletam frangi non poſſe animaduerterunt, dolo attentârunt.

2. Itaq; die quodam antiquus hoſtis in ſpecie magnifici cuiusdam ac nobilis Viri in eremo obequitans, impudenter ſuggerit; Ei non licere, ſic præter humanæ ſocietatis vſum, ſolitariam hanc adeoq́; auſteram vitam in eremo ducere; cùm & ſic ad Paradiſi gloriam perueniri non poſsit: ad quam ſi toto tamen anhelet pectore, expedire maximè, cæterorum ſe hominum moribus vt conformet. At ille (inquit Lupulus) ſpurciſsimi nequam fraudes intelligens, Omnipotentis Dei, & intemeratæ Genitricis eius innixus ſuffragijs, ab omni protinus periculo liberatur.]

3. Sanè permagno eum cultu ac veneratione ſanctiſsimam Dei matrem proſequutum; non ſolùm Lupulus, ſed antiquiſſimæ etiam picturæ, & Gundelfingius, & Rhætus, vetereſq; omnes copioſe conteſtantur. In Albo Saxlenſi hæc leguntur: [Sæpius quoq; Frater Nicolaus Arnoldo Roter (viro ſenatorio, ſibiq́; ab incunabulis familiariſsimo) indicauit, ſe vehemen-

ter à Diabolo & quotidiè affligi, verùm à dilectiſsima Domina noſtra iugiter conſolari.] Vnde coniectari licet haud obſcurè, B. Virginem etiam viſibiliter ei nonnunquam apparuiſſe, quandoquidem & Sathanas viſibili eum forma ſæpenumerò infeſtârit.

Quibus de Cauſis DEO gratiſsimus fuerit; & qualiter egerit cum aduenis. CAP. XIV. §. I.

DEo gratias quotidiè agebat, pro gratia triplici: primùm, quòd conſenſu vxoris ac liberorum impetrato, ſolitarius ſoli DEO vacare in Eremo poſsit; deinde, quòd nullo vnquam ad ſua ſuosq; redeundi deſiderio fuiſſet illectus: ac demùm, quòd ſic ſine corporeo nutrimento queat viuere, quam quidem gratiam ab ineunte ætate ſemper ipſe exoptârit.

2. Nunquam etiam ad domûs ſuæ reuerſus eſt limina, quamuis illa ab eremo haud procul abeſſet. Porrò fecit interdum vxori liberisq; ad ſe veniendi copiam, hauriendæ ſcilicet doctrinæ ſalutaris occaſione.

3. Aduenis non omnibus idem ad DEI ſeruum patebat aditus; quippè qui diceret,

quoſdam ex curioſitate potius ac leuitate, quàm fructûs capiendi cauſa, illuc aduentare. Vnde & tales, quos & penitiſsimè pernôrat, longius fugiebat. Reliquos verò ad colloquium admiſſos, comiter ſalutabat, docebat, venerabatur.

4. Et quanquam nullam literarum haberet notitiam, ſolebat tamen ex infuſa ſupernè ſcientia, viros etiam peritiſsimos ab ſecretarum rerum ignorantia quandoq; liberare. At ſi qui ſimpliciores ad eum confluxiſſent, benignè eos monuit, vt Paſtorum ſuorum exhortationes ſincera mente conſeruarent, illisq; pro viribus operam impenderent.

Conſilia Heluetijs data, & eorum rationes. CAP. XV. §. I.

POST inſignem victoriam, quam Cantones octo Heluetici à Carolo Burgundionum Duce anno M. CCCC. LXXVI. reportârant, haud leue inter ipſos fœderatos exortum eſt diſſidium. Primùm enim opimam illam partiri prædam amicè non poterant: nam Cantones montani, vtpotè Vranienſes, Suitij, Vnderualdij, Tugiani & Claronenſes, in partes octo æquales iuxta Cantonum numerũ diuiſam volebant; op-

pidani verò, qui erant Tigurini, Bernates ac Lucernenſes, quòd maiores in bellum feciſſent ſumptus, maiorem quoq; ſpoliorum exigebant portionem. Deinde Friburgenſes ac Salodorenſes inſtabant, vt in communem Fœderatorum ſocietatem admitterentur: atque his gratificari æquiſſimum ducebant oppidani; contrà auerſiſſimis id reprobabant animis montani. Cùm itaque Tigurini, Bernates ac Lucernenſes flecti nequaquam poſſe montanos cernerent, peculiare cum Friburgenſibus ac Salodorenſibus percuſſerunt fœdus: cæterùm permoleſtè hoc Vranienſibus, Suitijs, reliquisq́; ferentibus, eò deducta lis eſt, vt parum abfuerit, quin ferro decerneretur. Per eadem quoq; tempora incredibilẽ pecuniarum vim à Ludouico XI. Galliarum rege acceperant Heluetij, iure quidem optimo: inde porrò fiebat, vt terrenis aucti opibus, vitijs quoq; augerentur; auita ſimplicitate in faſtum, ſobrietate in luxum apud complures deſinente.

2. Verumenimuerò diſplicuerunt eæ res pacifico ac pauperi Nicolao Vnderualdenſi, probè iam gnaro, quid demùm incentor malorũ omnium attentaret Sathanas. Strenuam igitur in ſua vir DEI perſona (teſte Etterlino, in Chron. Heluet.) nauauit operam, vt Stanzij Siluaniæ pago fieret Procerum

rum Heluetiorum conuentus: cui Friburgenſium quoq; ac Salodorenſium intereſſent Legati. Officioſè ad tanti Arbitri vocationem comparebant omnes (Is dies fuit medio circiter Decembri. anno M.CCCC.LXXXI.) cùm facto conſeſſu, præſtò eſt Nicolaus, qui itinere horarum quatuor illûc ex Eremo venerat, corporis cibo ac potu vacuus, ſpiritus donis & virtutibus plenus; cœpitq; eos paterno affectu increpare primùm & arguere; deinde obſecrare, exhortari, docere, præmonere. Grauiſsima fuit oratio, & ad mouendos auditorum animos inſtructiſsima: id quod rei euentus egregiè docet. Quippè vnico iſto die Fœderati veteres, ſopito omni liuore atq; odio, non ad priſtinam modò concordiam, vnius F. Nicolai interuentu, reducti ſunt, ſed duobus etiam nouis Cantonibus aucti, Friburgenſi ſcilicèt ac Salodorenſi. Tenet fama, nec vana eſt fides, Dei amicum id etiam adjeciſſe oraculi: [Dilectiſsimi mei fœderati montani, ego vos non hortor ſolùm, ſed planè etiam oro, vt binas illas ciuitates veſtro iungatis fœderi; veniet enim tempus, cùm earum auxilio ac præſidio indigebitis.] Id quod Catholica Heluetia iam quidem experitur.

3. Reliqua Nicolai conſilia, documenta, ac vaticinia, Heluetijs tum Stanzij, tum

etiam in Eremo ſæpius inculcata, apud Gundelſingium & Salatum extant, in hanc ſententiam. j. Amici mei (inquit) non permittatis, quæſo, vt liuor, odium, inuidia, diſsidiaq; in vobis radices agant; alioquin res veſtræ ad nihilum recidunt. ij. Sepem fœderis veſtri vlteriꝰ haud extendite, quàm par ſit, vt eo facilius in pace, quiete & libertate, quæ tanti vobis ſtetit, permanere valeatis. iij. Exterorum negotijs nolite vos immiſcere; nec alienis cum Dominijs confœderemini. iiij. Non vendatis auro patriam: Cauete vobis ab auaritia & priuatis commodis. v. Patriam conſeruate; manete in ea: neq; exules alienigenas in ciues de facili aſſumite. vj. Bellum ſine graui cauſa nemini intuleritis: ſi quis autem vos opprimere præſumeret, tum dimicate fortiter pro patria & libertate. vij. Ante omnia autem DEVM timete, & mandata eius cuſtodite. viij. Monitis Sacerdotum, tametſi malo vobis exemplo eſſent, obtemperate: nam quemadmodum fons liquorem ſuum non minus per canales plumbeos, aut cupreos, quàm per argenteos aureosùe, vberrimè fundit; ita & DEVS ſuam gratiam ritè diſpoſitis, tam per malos quâm per bonos Sacerdotes, miſericorditer elagitur. ix. Deniq; in Religione ac fide majorum conſtantes eſtote; exorietur enim poſt obitum

meum

meum ingens ſeditio ac bellum in Eccleſia; tum cauete chariſſimi, ne per nouationes aut ſtrophas fallamini; eſtote concordes; perſeuerate in via & veſtigijs piorum parentum noſtrorum; tenete & ratihabete ea, quæ ab ijs didiciſtis: Et nec tentationum procellæ, nec turbarum impetus, qui vehementer adhuc ſæuient, nocere vobis poterunt.] Atq; hæc quidem Nicolaus ad Heluetios.

Viſiones atq; Ecſtaſes eius, diuinarum Inſtitutionum pleniſſimæ.



Erat patiens



DIVINA.

CAP.

Cap. XVI. §. I.

MIRABILIS DEVS in Sanctis ſuis; Ideoq; & ſancto ſeruo ſuo Nicolao ſe ſuaq; magnalia mirabilib⁹ patefecit modis. Apparuit illi aliquando multa cum luce ac majeſtate Facies quædã hominis barbati, diademate aureo, radijs aureis ſex, ac dũobus circulis circundata; ita vt viſio tota Rotæ cuidam aſsimilaretur. Acceſſêre autem ad hæc Nicolai Erga, aliorum quorundãm Parerga, id eſt, orbes ac rotulæ aliæ ſex; non quòd Nicolao illæ apparuerint, ſed interpretationis tantùm cauſa.

2. Eam Nicolai viſionem clariſsimus vir Sebaſtianus Verronius S. Th. Doctor, Friburgi in Heluetijs Canonicus, è ſcriptis Henrici Gundelfingij, ipſaq; Nicolai mente, ita deſcripſit. [Vidit vir DEI ſpeciem Rotæ duobus circulis & ſex radijs delineatam. Interior circulus referebat thronum DEI: exterior mundi vniuerſi circumferentiam, quam excedebant nonulli radij, quòd DEVS benedictus, cùm ſit immenſitate infinitus, nõ concludatur ac limitetur cœli empyrei, quod extimum eſt, extremitate. Hîc verò cum tres radij cuſpidem introrſum vertant, videlicèt in aurem, oculum & os DEI, ſignificatur DEVS aure omnia præponderaſſe ac præſciuiſſe ab æterno, quæ inter

inter Creaturas futura erant; oculo omnia à condito mundo videre atq; ſcire, quæcunq; vbiq; gentium aguntur; ore ſeu verbo virtutis ſuæ omnia regere atq; gubernare per prouidentiam. Quòd deinde tres radij alij è ſpeculo Diuinitatis latè emanantes, deſinunt extrâ in exiles cuſpides, ſignificantur tria magnalia DEI, quorum primum eſt, creatio mundi, quæ quamuis amplisſima appareat, tamen cũ infinita majeſtate DEI comparata, minima exiſtimatur. Secundum eſt, DEVM, cum magnus & immenſus ſit, per Incarnationem forma hominis ſuſcepta tanquam paruum apparuiſſe. Tertium, IESVM Chriſtum DEVM hominem, cum glorioſus ſit, ſubire propter homines in myſterijs ſacræ Euchariſtiæ ſpeciem admodum exilem tenuemq;] Hæc Dn. Verronius. Eadem viſio habetur fuſius explicata Germanicè, in appendice libri reuelationum S. Brigittæ, Amandi, Thauleri, &c. anno M. D. LXX. ab Adamo Valaſſero, viro integerrimo, Dilingæ editi.

3. Sequutum eſt autem hanc viſionem illud in DEI homine valdè mirandum, vt quemadmodũ Nicolaus in primo diuinæ illius Rotæ adſpectu mirum in modum terrefactus fuit; ita & omnes ad eum in Eremum ventitantes, pari terrore, ob venerandum,

randum; qui è Nicolai facie promicabat, fulgorem, percellerentur.

4. Rectè porrò ſequentes viſiones præcedenti ob inſignem myſteriorũ harmoniam ſubnectuntur. Raptus ſemel Nicolaus extra ſe viſus ſibi fuit loca deſerta & ab humana habitatione multum ſeiuncta perluſtrare: cæterũ conſpexit ibi à longè ſenem quendam venerabili facie, decentiq; habitu, ſuauiſsimos modulantem ſonos; ita vt vox vna in tres ſtatim mirabiliter diſtincta, atq; denuò in vnam reducta, perdulcem concentum Nicolai auribus inſonaret. Senex dein propius accedens, eleemoſynam mendicat; quam cùm Nicolaus exhiberet, ille ea hilariter accepta, diſparuit.

5. In eadem viſione progreſſus Nicolaus, venit in pagum quendam, paucis exſtructum domibus, eminenti tamen adornatum Palatio. Subintrans autem Palatiũ, offendit in eo ſcalas decem gradibus contextas; ſub quib⁹ emanare limpidiſsimum atq; vberrimũ fontem, oleo, vino ac melle permixtum vidit; audiuitq; vocem illic reſonantem ac dicentem: [Sitientes hauriant huius fontis liquorem.] Stupefactus igitur & attonit⁹, mirabatur tam inſoliti fluminis originẽ: & aſcendens gradus, inuenit quaſi craterem eo liquore plenum: neq; tamen vnde aut è quibus ſcateret cauernis, potuit explo-

exploratæ. Perpauci etiam hominum ad fontem illum, communis licèt omnibus eſſet, aduentare videbantur. Quod ille indignum ratus, digreditur indè, viſurus quid demùm miſeros mortales abs diuini fontis aditu præpediret: Et ecce, reperit in campo innumerabilem hominum multitudinem, qui quamuis formicarum more eſſent ſoliciti, multóq; ſudore terrenis lucris inhiarent, intoleranda tamen rerum omnium inopia premerentur. Hi ſepem componentes, neminem niſi dato prius aſſe tranſcendere permittebant; illi ponte fluuium ſternentes, vectigal à tranſeuntibus extorquebant; alij tibijs, tympanis, cæterisq; occupati ludicris, non niſi ſoluta mercede ludos & iocos faciebant. Interim verò nemini eorum in mentem, vt ad copioſiſsimum illum diuinæ bonitatis fontem, cuius ex potu adaugeri omnes, atq; etiam æternùm beari poterant, introiret. En quibus in ſcholis eruditus Nicolaus noſter fuerit, diuinamq; illam (quam ſummi infimi, docti indocti, ſenes iuuenes, in eo admirabantur) philoſophandi rationem aſſequutus!

Res aliquot prodigioſæ, è quibus cùm Vaticinij in Nicolao donum, tum inſignis ſanctitas elucet.

CAP. XVII. §. I.

LVE mortifera tempore quodam in Heluetijs graſsante, Vnderualdius quidam conſul genere Henzlius binos ſibi chariſsimos filiolos, vt à mortis periculo abeſſent longius, ad longinquas amãdabat terras. Id vbi reſciuit Nicolaus, in faciem conſuli: Vide, inquit, ne filios tuos è cælis in Infernum ablegaueris. Horrendum dictu audituq;. Non ita multi interceſsêre anni, cùm Iuuenum alter in foro Sarnenſi ab Gualthero Iſnero ciue Kernſiano transuerberatus pugione, miſerrimè occidit: alter verò è feroci excuſſus equo, ceruices fregit.

2. Filiorum Nicolai natu minimus, cui & ipſi Nicolao nomen; Lutetiam Pariſiorum ſeſe contulerat, capiendi cultûs ingenij cauſa. Inde per ſcholarem quendam literas ad Parentem fortè deſtinat: Ille eas in Sequanis incautus amiſit; Vnde contriſtratus, vix demùm comparére in conſpectu Senis audet: colligit tamen ſe, & in eremum fidenter abit: mira res. Obuius Eremita è cliuo deſcendit, tabellarium prior

benignè ſalutat, ioco vbi ſint literæ interrogat, ſimulq́; amiſſas ipſe profert & oſtendit, angelico haud dubiè miniſterio illi exhibitas. Quo miraculo Iuuenis ingenti animi cùm voluptate tum admiratione refertus eſt.

3. Interlacenſis quidam è Bernenſium dominio, toto pede miſerè laborans, atque præ continuo dolore vix vllam quietem percipiens, Beatiſsimæ Virgini Mariæ in Ranfft, eiusq́; famulo Nicolao, pro obtinenda ſanitate pedem cæreum deuouit offerendum. Qui quidem voto emiſſo actutùm conualuit: at promiſsis tamen non ſtetit, donec vertente anno grauius eodem morbo corriperetur. Itaq; memor iam neglectæ religionis, ad votum perſoluendum maturare pro virili cœpit. Porrò vbi cæram Virginis Aræ impoſuiſſet, Nicolai ſe precibus humiliter commendauit: quo continuò orante, valetudinarius ab omni protinus languore fuit liberatus.

4. Cæterùm, hominem impurum, flagitijsq́; oppreſſum, exhibitione duorum candentium ſpirituum, Vir DEI ad frugem atq; ad pœnitentiam adduxit.

5. Cacodæmones, iuuenem, qui ternas recentis butyri formulas, ternis illius loci Sacellis oblatas bajularet, incitantes ad furtum, ſigno ſanctæ Crucis compeſcuit F. Vdalrico adſtante.

6. Co

6. Colloquens ſemel extra Sacellum quibusdam cum aduenis, abrupto ſermone in ſuam cellulam feſtinus abijt: ſtatim verò inde reuerſus, adeò dulcem odoris fragrantiam ſecum tulit, vt omnes reuerà crederent, eum intereà cœleſti refectum cibo.

7. Sanis documentis inter coniuges, ſiue Sathanæ ſiue hominum improbitate diſtractos, priſtinam concordiam ac pacem ſæpius conciliauit.

8. Fæminæ afflictæ atq; conſilij inopis tacitas cordis cogitationes in magna hominum frequentia reuelauit: eoq; ipſo facto maritum illius ab adulterij ſuſpicione vindicauit.

9. Antonio Renckero puero decenni Kernſiano nonagenariam prædixit ætatem.

10. Admirabundo cuidam eius ſanctitatem, atq; in hæc verba: O quàm beatus es mi pater; prorumpenti, continuò reſpondit: [Noli beatum me dicere, fili; veniet tempus, quo exorietur noua quædam Fides, cui qui fortiter reſtiterit, ille beatus erit.]

11. Deniq; ad virum Dei iuuenis quidam, indutus veſtimenta peregrino more picta cultaq; (is enim habitus antea inuſitatus, id temporis in Heluetiam quoq; irrepſerat) acceſsit, & de ſuo ſuper hoc veſtium

genere iudicio tentauit. Cui Nicolaus, cor, ait, bonum eſt, omnia bona ſunt; ve runtamen poſſet cor tuum adeò eſſe bo num; vt peregrina hæc ac deformia indu menta geſtare erubeſceres. Multa alia fe cit, dixitq; Nicolaus noſter; ſed ea afferre inſtituti breuitas non patitur.

Felix Nicolai tranſitus, celebris ſepu tura, & poſt mortm eapparitio.

Cap. XVIII. §. I.

APPETENTE tempore, quo clemen tiſsimus DEVS fidelem ſuum ſeruum ex vitæ huius miſeria ad æterna tranſire gaudia diſpoſuerat; graui eum ægritudine laborare permiſit: qua quidem toto tor quebatur corpore; præcipuè autem in oſ ſibus ac neruis; ita planè, vt conſumpta ferè atq; emortua carne, huc atq; illuc ſeſe gyrando nuſquam manere poſſe videretur. Cumq; eo morbo octauum diem non mi nus patienter quàm ægrè attigiſſet, cœpit ardentiſsimè ſacroſanctũ Corporis & San guinis Chriſti deſiderare viaticum. Quod vbi primùm ſumma recepiſſet reuerentia, more ſuo ſuper ligneum lectulum ſuum extenſus, multa cum gratiarum actione dilectam DEO animam ſeptuagenarius ex halauit.

halauit; anno M. CCCC. LXXXVII. die verò XXI. Martij.

2. [Mortuus ſanè eſt Nicolaus noſter (inquit Gundelfingius) cùm haudquaquam corpore immortalis fuerit. Neq; tamen mortem eius pro morte ducamus. Eum namq; præmiſimus, exiſtimantes illum præcedere, NOBISQVE APVD DEVM SVFFRAGIO ESSE. Etſi mortem obijſſe nobis enunciatum ſit, gaudio tamen ſummo & lætitia affici debebimus: neque eum mortuum appellare audeamus, ſed viuendi tantùm in terris finem feciſſe dicamus. Optemus omnes & ſinguli, nos talem vitæ habere finem, eoque modo huiuſce ſæculi ærumnas excedere, Chriſtumq; intueri.]

3. Poſtridiè igitur quàm beatus vir naturæ ceſsiſſet, venerandum eius corpus ad Templum parochiale pagi Saxlen (vt ille viuus petierat) deportatum eſt: inibique proximè DEIparæ Virginis aram humiliter ſubtus terram conditum. Humato ſuperimpoſitus lapis vnicus, in quo cælata erat egregiè exſculptaq; beati Viri effigies. Porrò exequiæ eius tanto Sacerdotum populique concurſu ac ſtudio celebratæ ſunt, vt die illa omnis Vnderualdenſium pietas ac religio in vnam ceu maſſam ſacram videretur coagulata; cùm nec vſquam alibi per totam regionem illam, niſi in vna Saxlen-

ſium æde (quod ab hominum memoria non acciderat) Deo litarentur Sacra.

4. Quin eodem ipſo die, multi ægroti, qui ad monumentum eius recens confluxerant, à varijs liberati morbis, priſtinæ valetudini ſubitò fuerunt reſtituti.

5. Ad extremum, haud dubia fide compertum eſt, Nicolaum tertia ab obitu ſuo die, tribus honeſtis perſonis ſupra Saxum (vnde genti ipſius cognomentum inditum ſcripſimus) magna claritate ſplendentem, manuq; candidum vexillum vrſina inſignitum branca præferentem, viſibiliter apparuiſſe. Res & ſermone omnium, & ſcriptis multorum celebrata: ſed, ô imprudentiam! nomina teſtium, quos & ipſos tam præclara viſio beâſſet, memoriæ à ſcriptore nullo tradita.

Sanationes, quas Dominus ad interceſſionem fidelis Serui ſui Nic. miraculoſè operatus eſt: principiò cùm publicas in tabulas, tum in Album Saxolenſe fuſim relatæ; exin breuiter à Lupulo traditæ.

Cap. XIX.

1. Epiſ-

1. *Epiſc. pedis recuperat ſanitatem.*

BENEDICTVS Lauſannenſis Eccleſiæ Pontifex, acerbo totius cruris pedisq́; dolore vehementer afflictus, ita etiam vt deficientibus medicis, illius officio nequaquam vti liceret, amicorum conſilio Vnderualdenſi huic Nicolao noſtro votum nuncupat. Quod vbi primum protuliſſet, lenito ſtatim morbo equum conſcendit, atq; in Vnderualdiam plenus ſpei proficiſcitur: mira auditu res. Vix templo Saxlenſi ægrum intulerat pedem, cùm ab omni protinus languore liberatur.

2. *Sacerdos calculoſus ſanatur.*

BERTHOLDVS Feer Eccleſiæ B. Mariæ in Silua tenebricoſa, vulgò Einſidlen, plebanus, calculi ſtranguriæq́; vitio quatuordecim continuas hebdomadas ægerrimè in grabato laborans; cùm iam de vita illius cuncti fruſtratis remedijs deſperaſſent, Vnderualdij ſe Nicolai committit patrocinio: quod etiam proximè inſequuta nocte, ingentis lapidis, multæq; arenæ per vrinam emiſsione, liberaliter expertus eſt. Vnde & paucis diebus pòſt in Saxlenſium æde ſanus ſaluusq́; comparuit, tam inſignis miraculi teſtis.

3. *Cæco lumen reſtituitur.*

NICOLAVS ab EinWil ciuis Vnderualdenſ. quinq; cõtinuos dies omninò cæcus, ad beati viri tumulum à vicinis deducitur; fuſaq́; ibidẽ multa ad DEVM & famulũ eius Nicolaum oratione, cæcus in paternam domum reuertitur. Sequenti porrò nocte è ſomno voce quadam excitus, lumina quàm prius vnquam babuiſſet clariora recepit.

4. *Miſeræ menſtruoſæ ſubuenitur.*

ELIZABETHA Elerin fæmina Noribergenſis, annis quatuordecim menſtrui profluuio inceſſanter exhauſta, eouſq; naturæ vitio debilitatur, vt & manibus & pedibus vix prona graderetur. Sed vt Nicolai ſe commendaſſet precibus, ſubleuato morbo ad ſepulchrum eius properans, integram ſanitatem meruit obtinere.

5. *Vertiginoſus conualet.*

IOHANNES Sartor ciuis Eyſtettenſis, tanta capitis vertigine quinque continuis annis oppreſſus eſt, vt plano perſæpè ſolo dilaberetur. Vbi verò demùm de VnderualdenſiNicolao in mentem venit; buſtum eius deuotè quæritans, omnem ſtatim ægritudinem nunquam deinceps reuerſuram abijſſe perſenſit.

6. *Deſpe-*

6. *Deſperatæ redditur ſanitas.*

MARGARITA Rorbergia Heidelbergenſis, à Dominico natali aduſq; Sextilis exitum lecto decumbens, atro totius cruris pedisq́; morbo ita infecta fuit, vt fuſa ſuper illud guttatim aqua candentis inſtar ferri vaporaret. Vnde & à cunctis deſolata medicis, ad Nicolai noſtri ſepulchrum auxilia ſe diuina promittit imploraturam; emiſſoq́; ſtatim voto conualeſcit, & quod pollicita fuerat, abſq; cunctatione integra ſanaq́; perſoluit.

7. *Intoxicatus liberatur.*

PETRVS in Saal Sedunenſis, veneno apud Gallos grauiter infectus, continuò ita intumuit, vt rupta diplois vtriſq; ſub alis diſsiliret. Qui mox omnipotentis DEI auxilium per huius Nicolai ſuffragia inuocãs, atq; illius tumulum ſe aditurum promittens, lethale virus ore, naribus, auribus, vmbilico, alijsq́; locis actutùm euomuit. Quarè priori reſtitutus ſanitati, quod ferè moribundus deuouerat, incunctanter eſt exequutus.

8. *Valetudinarius morbo eripitur.*

AB ineunte Sextili Conradus Scheuberus Claronenſis, diriſsimo correptus mor-

bo adeò torquebatur, vt nec os, nec oculos, tam pernox quàm etiam perdius eiulans, præ nimio dolore occludere poſſet. Cumq; eo languore totum annum, emortuis artubus, & adeſa carne, atq; putrefacta iam in tergo cute, ægerrimè tranſegiſſet; Nicolai tandem noſtri ſe offert patrocinio; pollicens etiam recepta valetudine ſe illius monumenta quàm citiſsimè quæſiturum. Quapropter immutata mox conſuetudine, totius noctis ſomnum quietius captans, poſt triduum grabato exſurgit; ſolidatisq; deinde menſtruo tempore membrorum compagibus, ſuſtentaculis vtrinq; fulcitus, iter in Vnderualdiam, ſolo comitatus adoleſcẽtulo, arripit: vbi effuſa ad beati viri tumulum oratione, ſanus & integer, dimiſsis quibus venerat crucibus, ad ſua repedauit.

9. *Morbus comitialis pellitur.*

VDALRICVS Molitor ciuis Furſtenbergius, in vigilia Pentecoſtes anni M.CCCC. XCIII. ad Vnderualdij Nicolai tumbam deueniens, certò aſſeuerabat; ſe inde à deceñio ipſum Nicolaum ſuperſtitem conueniſſe, ibiq; poſt multa amica colloquia alterum alteri fidem dediſſe, quòd velint toto vtriuſq; vitæ curriculo mutuis ſe precibus DEO cōmendare. Nunc autem ſibi filiam eſſe, quæ atroci epilepſiæ morbo fuerit oppreſſa:

preſſa; vnde & ipſe defuncti iam Nicolai promiſsis ad mentem reuocatis, fidentius eius opem implorârit, continuoq́; ſe Iuuenculæ ſalute perſenſerit exauditum.

10. *Surdus aurium vſum recuperat.*

Porro Henrici Zwyſſenbach ex Sibenthal Bernatis filius decennis, toto anno & amplius omninò ſurdus, Nicolai etiam patrocinio commiſſus, & ad ſepulchrum eius per genitorem deductus, integerrimè curatus eſt.

11. *Cæca lumen recipit.*

Qvin & Michaëlis Weybel ciuis Sedunẽſis filia, duodecim ſeptimanis penitus cæca, inuocato Nicolai noſtri auxilio, viſum perfectè recepit; paucisq́; diebus pòſt, ad ipſius buſtum miraculi cum patre teſtis apparuit.

12. *Calculoſus liberatur.*

Margarita Würgin Tigurina filium calculi morbo, toto quidem anno grauiter, at extremos octo continuos dies lethaliter decumbentẽ ad Nicolai ſepulchrum, cum munuſculi cuiuſpiam oblatione deuouit. Quapropter ſequenti mox nocte puer egeſtione lapidis, fabæ magnitudinem adæquantis, integre conualuit.

13. *Sanationum cumulus.*

SEXCENTA eius generis cùm in Albo Saxl. tum apud Dn. Cyſatum habentur miracula; quorum nonnulla in Germanica noſtra editione poſita, breuitatis hîc cauſa omiſimus. Et poſſumus reuerà cum Lupulo demùm inferre: Vt ſummatim tandem concludam, vix auditu credibile videtur, quot aut quantis indies miraculis felix ille Pater fulgeat; cum penè nullum morbi genus per illius ſuffragia non curetur; maximè verò febricitantes (quibus & hernioſos ruptosq; annumeramus) illîc exaudiri quotidiè, votisq; potiri ſuis, tàm Sacerdoti, quàm etiam ipſius Eccleſiæ in Saxlen vniuerſo gregi conſtat.

F. Vdalrici mors; monumenta Nicolai, eiusq; translatio. CAP. XX. §. I.

CÆTERVM, Vdalricus ille Eremita bis nobilis, videns dulciſsimo ſe Nicolai priuatum conſortio, orbefacti inſtar turturis, ſub rupe ſedet ſua. DEOq; inibi fideliter ſeruiens ſupremam vitæ opperitur horulam. Quadriennium menſesq; tres vir pius à Nicolai tranſitu ſuperuixerat, cùm ipſo S. Corporis Chriſti die decedit, & in Templo parochiali Kerns ſepelitur.

Veneranda

Veneranda facie homo, mediocri ſtatura, capite cano, barba lata, denſa & prolixa; corpore naturâ obeſo, ſed pallore ac macie ob jeiunia affecto. Tunica vtebatur, quali Nicolaus, quæ in Kernſiana æde ſuſpenſa viſitur: nudus pedes, caput villoſo opertus pileolo. Poſt obitum claruiſſe dicitur miraculis. Monumento eius lapideo, atq; in formam aræ extructo, inciſa hæc leguntur verba. [Hîc ſepultus iacet Frater Vdalricus, qui obijt feliciter anno M. CCCC. XCI.]

2. Anno proximè inſequuto; id eſt, XCII. ſupra ſummum ædis Saxlenſis altare, Patronorum iuxta ſtatuas picta eſt imago tricubitalis B. Patris noſtri Nicolai, manu magnum geſtantis Roſarium. Eadem tempeſtate in S. Nicolai Oratorio (cuius ſuprà meminimus, cap. 2. §. 2.) ad ipſiusmet S. Antiſtitis aram pictæ ſunt inter alias Diuorum icones, Fratrum Nicolai & Vdalrici effigies, æquè tenentium manibus roſaria. Quæ vtiq; picturæ clarè docent, vtrumq; Eremitam permagni id tempus fuiſſe tum nominis tum meriti.

3. Quandoquidē verò Sacellum Nicolai in eremo Ranfft aduentantes quotidiè peregrinos accolasque minimè capiebat; quippè cuius longitudo pedes. XXVIII. latitudo XVIII. non excedebat; eapropter

anno

anno Iubilæi M. D. ac ſequenti triennio, in eadem conualle haud procul à ſacello veteri (quod hodieq; manet) fabrefacta eſt Ædes noua & elegans, longa pedes LXX. lata XXXIII. quæ ob aquarum frequentiam lociq; incommoditatem fieri capacior vix potuit. Et maturius fuiſſet erecta, niſi annis præcedentibus inter Sueuos Heluetiosq; bellum incidiſſet. Tenet fama, ſtructuræ huius ſedem ab ipſo Nicolao, quòd ei ſe ibidem beatiſsima Virgo obtuliſſet, determinatam. Odèum habet fornice ſpecioſiſſima. Altari ſummo ſuperimpoſita viſuntur ſimulacra Diuorum quina bicubitalia, mirè ſcitè & perbenè facta; in quibus etiam illud B. Nicolai eſt, pro vera eius effigie ſemper habitum. Templum autem totum cum ornatu ſuo non tam Siluanorum ſumptibus exædificatum eſt, quàm piorum aduenarum donis; in quibus tamen Reuerendiſ. D. Matthæi Schineri Epiſc. Sedunenſis (cui Henricus Lupulus per id tempus Nicolai noſtri dicârat Hiſtoriam) longè enituit liberalitas. Cooptatus poſteà is princeps eſt in ſenatum Cardinalium, anno M. D.IX. cuius laudem eximiam vide apud Paulum Iouium, Hiſt. tom. 1. lib. 11. Atq; id ſanè delubrum vt eſt ſanctæ Dei Eccleſiæ ornaméto, ita maximè Anachoretæ noſtri laudem cumulat, famam illuſtrat, ſan-

ctitatem conteſtatur. Quò ſpectant etiam, quæ deinceps traduntur.

4. Anno M. D. XIII. in templo Saxlenſi erectum eſt ad ſummi Altaris dexterum latus, propitiatorium nouum, hoc eſt, venerabilis Sacramenti tabernaculum, idq; ex aduenarum donis. Lapideum eſt opus, artificio cuiusdam ſtatuarij Baſileenſis affabrè elaboratum. Surgit in altitudinem ad viginti pedes: cultum venuſtis aliquot Diuorum iconibus, quas inter beati quoque Nicolai viſitur, tenentis manu roſarium. Anno dein M. D. XVI. in vrbe eadem, ex donis peregrinorum, facta eſt in vſum Eccleſiæ Saxlenſis ~~vas oſtenſorium~~ ſiue capſa argentea, circumferendo SS. Euchariſtiæ myſterio accommodata; pondo, forma atq; opere incredibili: Binis alta cubitis; ornata nouem belliſsimis quà Angelorum quà Sanctorum ſigillis argenteis inauratis: in quibus Nicolai etiam noſtri effigies non ſine pulchello continetur roſariolo. Rectè ſanè ponebatur ad ſancta Dei altaria, & Sacramentorũ vaſa, imago eius, cui ſolo Altaris Sacramento vitam tamdiu prorogârat Devs.

5. Porrò, cum per B. Viri merita innumera fierent ſigna & miracula, æquum fidelibus eſt viſum, vt corpus eius humili eatenus loco conditum, ad paulò altiorem

hono-

honorificè transferretur. Itaque annò M. D.XVIII. die S. Benedicto Abbati ſacra cõuenerunt in Saxlen Pontifex Lauſannenſis Benedictus de Monte Ferrando, totusq; Vnderualdenſ. clerus. Hi patefactâ tumbâ reliquias ſacras in loculũ nouũ quernumq; reuerenter poſuerunt, laminisq; ferreis obfirmârunt. Moxq; eodem loci, vbi ſepulchrum prius fuerat, excitatum eſt inſtar altaris monumentum, è ſaxo Lucernenſi ſolido magnificè exciſum cœlâtumq;. Intra id reponitur primùm veteris ſarcophagi operculum lapideum, cui inciſam diximus Viri Dei effigiem: huic ſacra adduntur oſſa, & in capſula Epiſcopi Lauſannenſis literæ; quæ quid contineant, nobis incompertum. Clauditur demùm monumentum, ſuperimpoſita ingentis ſaxi mole, & auguſta Nicolai noſtri ſancti, roſarium manu ferentis, ſtatua; cum inſcriptione. [FRATER NICOLAVS DE SAXO, RELICTA VXORE AC LIBERIS, ABIIT IN EREMVM; DEO SERVIVIT SEMIDEVIGINTI ANNIS, SINE CORPORALI CIBO; OBIIT DIE SANCTI BENEDICTI, ANNO DOMINI, M. CCCC. LXXXVII.] Communitur tumulus Cancellis ferreis: & ſeptem lampades, diu noctuq; ad ſacrum pignus collucent.

6. Sed jam audi rem, quæ ſub hanc Nicolai

colai translationem accidit prodigioſa nimis, atq; alta conſideratione digna. Nempè eademmet tempeſtáte, qua Prophetæ DEI oſſa veneranda apud Saxlenſes è puluere eleuantur, ecce tibi apud Saxones prodeunt ab inferis Pſeudapoſtolorum ſacrilegia, errores, impietates, blaſphemiæ, ſectæ, ſchiſmata, rebelliones, turbæ, hæreſes. Quæ mala malorum omnium maxima ſancti olim Prophetæ & Apoſtoli, nec non innumeri alij DEI homines diſertis ſæpe prænunciârunt verbis; nouiſsimè verò Vnderualdenſis noſter Nicolaus, quaſi digito commonſtrauerat. Vnde & tanta vaticiniorum eius adimpletio, grande fuit eo tempore miraculum.

De B. Nicolao teſtimonia Exterorum. CAP. XXI.

QVo loco Eremita hic noſter etiam apud exteros (nullo ſcilicet Heluetijs adſtrictos fœdere) ſit fueritq; ſemper habitus, & paſsim occurrit ſuperiùs, & maximè in hoc capite demonſtratur.

1. Primùm igitur Iohannes Trithemius celeberrimus ille Cœnobij Spanheimenſis Abbas, in Chronico ſuo, deſcribens annum M. CCCC. LXXXVII. tale Nicolao

3. *Cæco lumen reſtituitur.*

Nicolavs ab EinWil ciuis Vnderualdenſ. quinq; cõtinuos dies omninò cæcus, ad beati viri tumulum à vicinis deducitur; fuſaq́; ibidẽ multa ad Devm & famulũ eius Nicolaum oratione, cæcus in paternam domum reuertitur. Sequenti porrò nocte è ſomno voce quadam excitus, lumina quàm prius vnquam babuiſſet clariora recepit.

4. *Miſeræ menſtruoſæ ſubuenitur.*

Elizabetha Elerin fæmina Noribergenſis, annis quatuordecim menſtrui profluuio inceſſanter exhauſta, eouſq; naturæ vitio debilitatur, vt & manibus & pedibus vix prona graderetur. Sed vt Nicolai ſe commendaſſet precibus, ſubleuato morbo ad ſepulchrum eius properans, integram ſanitatem meruit obtinere.

5. *Vertiginoſus conualet.*

Iohannes Sartor ciuis Eyſtertenſis, tanta capitis vertigine quinque continuis annis oppreſſus eſt, vt plano perſæpé ſolo dilaberetur. Vbi verò demùm de Vnderualdenſi Nicolao in mentem venit; buſtum eius deuotè quæritans, omnem ſtatim ægritudinem nunquam deinceps reuerſuram abijſſe perſenſit.

6. *Deſpe-*

6. *Deſperatæ redditur ſanitas.*

MARGARITA Rorbergia Heidelbergenſis, à Dominico natali aduſq; Sextilis exitum lecto decumbens, atro totius cruris pedisq; morbo ita infecta fuit, vt fuſa ſuper illud guttatim aqua candentis inſtar ferri vaporaret. Vnde & à cunctis deſolata medicis, ad Nicolai noſtri ſepulchrum auxilia ſe diuina promittit imploraturam; emiſſoq; ſtatim voto conualeſcit, & quod pollicita fuerat, abſq; cunctatione integra ſanaq; perſoluit.

7. *Intoxicatus liberatur.*

PETRVS in Saal Sedunenſis, veneno apud Gallos grauiter infectus, continuò ita intumuit, vt rupta diplois vtriſq; ſub alis diſsiliret. Qui mox omnipotentis DEI auxilium per huius Nicolai ſuffragia inuocãs, atq; illius tumulum ſe aditurum promittens, lethale virus ore, naribus, auribus, vmbilico, alijsq; locis actutùm euomuit. Quarè priori reſtitutus ſanitati, quod ferè moribundus deuouerat, incunctanter eſt exequutus.

8. *Valetudinarius morbo eripitur.*

AB ineunte Sextili Conradus Scheuberus Claronenſis, diriſsimo correptus mor-

bo adeò torquebatur, vt nec os, nec oculos, tam pernox quàm etiam perdius eiulans, præ nimio dolore occludere poſſet. Cumq́; eo languore totum annum, emortuis artubus, & adeſa carne, atq; putrefacta iam in tergo cute, ægerrimè tranſegiſſet; Nicolai tandem noſtri ſe offert patrocinio; pollicens etiam recepta valetudine ſe illius monumenta quàm citiſsimè quæſiturum. Quapropter immutata mox conſuetudine, totius noctis ſomnum quietius captans, poſt triduum grabato exſurgit; ſolidatisq́; deinde menſtruo tempore membrorum compagibus, ſuſtentaculis vtrinq; fulcitus, iter in Vnderualdiam, ſolo comitatus adoleſcẽtulo, arripit: vbi effuſa ad beati viri tumulum oratione, ſanus & integer, dimiſsis quibus venerat crucibus, ad ſua repedauit.

9. *Morbus comitialis pellitur.*

VDALRICVS Molitor ciuis Furſtenbergius, in vigilia Pentecoſtes anni M. CCCC. XCIII. ad Vnderualdij Nicolai tumbam deueniens, certò aſſeuerabat; ſe inde à decẽnio ipſum Nicolaum ſuperſtitem conueniſſe, ibiq́; poſt multa amica colloquia alterum alteri fidem dediſſe, quòd velint toto vtriuſq; vitæ curriculo mutuis ſe precibus DEO cõmendare. Nunc autem ſibi filiam eſſe, quæ atroci epilepſiæ morbo fuerit oppreſſa:

preſſa; vnde & ipſe defuncti iam Nicolai promiſsis ad mentem reuocatis, fidentius eius opem implorârit, continuoq́; ſe Iuuenculæ ſalute perſenſerit exauditum.

10. *Surdus aurium vſum recuperat.*

PORRO Henrici Zwyſſenbach ex Sibenthal Bernatis filius decennis, toto anno & amplius omninò ſurdus, Nicolai etiam patrocinio commiſſus, & ad ſepulchrum eius per genitorem deductus, integerrimè curatus eſt.

11. *Cæca lumen recipit.*

QVIN & Michaëlis Weybel ciuis Sedunẽſis filia, duodecim ſeptimanis penitus cæca, inuocato Nicolai noſtri auxilio, viſum perfectè recepit; paucisq́; diebus pòſt, ad ipſius buſtum miraculi cum patre teſtis apparuit.

12. *Calculoſus liberatur.*

MARGARITA Würgin Tigurina filium calculi morbo, toto quidem anno grauiter, at extremos octo continuos dies lethaliter decumbentẽ ad Nicolai ſepulchrum, cum munuſculi cuiuſpiam oblatione deuouit. Quapropter ſequenti mox nocte puer egeſtione lapidis, fabæ magnitudinem adæquantis, integre conualuit.

13. *Sanationum cumulus.*

SEXCENTA eius generis cùm in Albo Saxl. tum apud Dn. Cyſatum habentur miracula; quorum nonnulla in Germanica noſtra editione poſita, breuitatis hîc cauſa omiſimus. Et poſſumus reuerà cum Lupulo demùm inferre: Vt ſummatim tandem concludam, vix auditu credibile videtur, quot aut quantis indies miraculis felix ille Pater fulgeat; cum penè nullum morbi genus per illius ſuffragia non curetur; maximè verò febricitantes (quibus & hernioſos ruptosq; annumeramus) illîc exaudiri quotidiè, votisq; potiri ſuis, tàm Sacerdoti, quàm etiam ipſius Eccleſiœ in Saxlen vniuerſo gregi conſtat.

F. Vdalrici mors; monumenta Nicolai, eiusq́ translatio. CAP. XX. §. I.

CÆTERVM, Vdalricus ille Eremita bis nobilis, videns dulciſsimo ſe Nicolai priuatum conſortio, orbefacti inſtar turturis, ſub rupe ſedet ſua. DEOq; inibi fideliter ſeruiens ſupremam vitæ opperitur horulam. Quadriennium menſesq; tres vir pius à Nicolai tranſitu ſuperuixerat, cùm ipſo S. Corporis Chriſti die decedit, & in Templo parochiali Kerns ſepelitur.

Veneranda

Veneranda facie homo, mediocri ſtatura, capite cano, barba lata, denſa & prolixa; corpore naturâ obeſo, ſed pallore ac macie ob jeiunia affecto. Tunica vtebatur, quali Nicolaus, quæ in Kernſiana æde ſuſpenſa viſitur: nudus pedes, caput villoſo opertus pileolo. Poſt obitum claruiſſe dicitur miraculis. Monumento eius lapideo, atq; in formam aræ extructo, inciſa hæc leguntur verba. [Hîc ſepultus iacet Frater Vdalricus, qui obijt feliciter anno M. CCCC. XCI.]

2. Anno proximè inſequuto, id eſt, XCII. ſupra ſummum ædis Saxlenſis altare, Patronorum iuxta ſtatuas picta eſt imago tricubitalis B. Patris noſtri Nicolai, manu magnum geſtantis Roſarium. Eadem tempeſtate in S. Nicolai Oratorio (cuius ſuprà meminimus, cap. 2. §. 2.) ad ipſiusmet S. Antiſtitis aram pictæ ſunt inter alias Diuorum icones, Fratrum Nicolai & Vdalrici effigies, æquè tenentium manibus roſaria. Quæ vtriq; picturæ clare docent, vtrumq; Eremitam permagni id tempus fuiſſe tum nominis tum meriti.

3. Quandoquidē verò Sacellum Nicolai in eremo Ranfft aduentantes quotidiè peregrinos accolaſque minimè capiebat; quippè cuius longitudo pedes. XXVIII. latitudo XVIII. non excedebat; eapropter

anno

anno Iubilæi M. D. ac ſequenti triennio, in eadem conualle haud procul à ſacello veteri (quod hodieq; manet) fabrefacta eſt Ædes noua & elegans, longa pedes LXX. lata XXXIII. quæ ob aquarum frequentiam lociq; incommoditatem fieri capacior vix potuit. Et maturius fuiſſet erecta, niſi annis præcedentibus inter Sueuos Heluetiosq; bellum incidiſſet. Tenet fama, ſtructuræ huius ſedem ab ipſo Nicolao, quòd ei ſe ibidem beatiſsima Virgo obtuliſſet, determinatam. Odèum habet fornice ſpecioſiſſima. Altari ſummo ſuperimpoſita viſuntur ſimulacra Diuorum quina bicubitalia, mirè ſcitè & perbenè facta; in quibus etiam illud B. Nicolai eſt, pro vera eius effigie ſemper habitum. Templum autem totum cum ornatu ſuo non tam Siluanorum ſumptibus exædificatum eſt, quàm piorum aduenarum donis; in quibus tamen Reuerendiſ. D. Matthæi Schineri Epiſc. Sedunenſis (cui Henricus Lupulus per id tempus Nicolai noſtri dicârat Hiſtoriam) longè enituit liberalitas. Cooptatus poſteà is princeps eſt in ſenatum Cardinalium, anno M. D.IX. cuius laudem eximiam vide apud Paulum Iouium, Hiſt. tom. 1. lib. 11. Atq; id ſanè delubrum vt eſt ſanctæ DEI Eccleſiæ ornaméto, ita maximè Anachoretæ noſtri laudem cumulat, famam illuſtrat, ſanctitatem

ctitatem conteſtatur. Quò ſpectant etiam, quæ deinceps traduntur.

4. Anno M. D. XIII. in templo Saxlenſi erectum eſt ad ſummi Altaris dexterum latus, propitiatorium nouum, hoc eſt, venerabilis Sacramenti tabernaculum, idq; ex aduenarum donis. Lapideum eſt opus, artificio cuiusdam ſtatuarij Baſileenſis affabrè elaboratum. Surgit in altitudinem ad viginti pedes: cultum venuſtis aliquot Diuorum iconibus, quas inter beati quoque Nicolai viſitur, tenentis manu roſarium. Anno dein M. D. XVI. in vrbe eadem, ex donis peregrinorum, facta eſt in vſum Eccleſiæ Saxlenſis ~~vas oſtenſorium~~ ſiue capſa argentea, circumferendo SS. Euchariſtiæ myſterio accommodata; pondo, forma atq; opere incredibili: Binis alta cubitis; ornata nouem belliſsimis quà Angelorum quà Sanctorum ſigillis argenteis inauratis: in quibus Nicolai etiam noſtri effigies non ſine pulchello continetur roſariolo. Rectè ſanè ponebatur ad ſancta Dei altaria, & Sacramentotũ vaſa, imago eius, cui ſolo Altaris Sacramento vitam tamdiu prorogârat Devs.

5. Porrò, cum per B. Viri merita innumera fierent ſigna & miracula, æquum fidelibus eſt viſum, vt corpus eius humili eatenus loco conditum, ad paulò altiorem hono-

colai translationem accidit prodigioſa nimis, atq; alta conſideratione digna. Nempè eademmet tempeſtate, qua Prophetæ DEI oſſa veneranda apud Saxlenſes è puluere eleuantur, ecce tibi apud Saxones prodeunt ab inferis Pſeudapoſtolorum ſacrilegia, errores, impietates, blaſphemiæ, ſectæ, ſchiſmata, rebelliones, turbæ, hæreſes. Quæ mala malorum omnium maxima ſancti olim Prophetæ & Apoſtoli, nec non innumeri alij DEI homines diſertis ſæpe prę-nunciârunt verbis; nouiſsimè verò Vnderualdenſis noſter Nicolaus, quaſi digito commonſtrauerat. Vnde & tanta vaticiniorum eius adimpletio, grande fuit eo tempore miraculum.

De B: Nicolao teſtimonia Exterorum. CAP. XXI.

QVo loco Eremita hic noſter etiam apud exteros (nullo ſcilicet Heluetijs adſtrictos fœdere) ſit fueritq; ſemper habitus, & paſsim occurrit ſuperiùs, & maximè in hoc capite demonſtratur.

1. Primùm igitur Iohannes Trithemius celeberrimus ille Cœnobij Spanheimenſis Abbas, in Chronico ſuo, deſcribens annum M. CCCC. LXXXVII. tale Nicolao

tribuit teſtimonium. [Hoc anno, inquit,
*21. * XXV. die menſis Martij, obijt Nicolaus ille famoſus Eremita, in pago Suitenſium ſiue Suicerorum, non longè ab oppido Lucerna, in ſolitudine vaſta; qui multis annis in magna paupertate, humilitate, patientia, & SANCTITATE, Domino in eadem Eremo ſtrenuè ſeruiuit ſolitarius, & ante mortem ſuam per annos Viginti continuò ſine Cibo corporali vixit; quemadmodum hoc EPISCOPI CONSTANTIENSIS, in cuius Parochia morabatur, & aliorum compluriurn fide dignorum teſtimonio compertum habemus. Spiritum quoq; Prophetiæ habuit, & nonnulla genti ſuæ (quæ poſtea contigerunt) futura prædixit. Magnus ad eum, etiam ex remotis regionibus, peregrinorum fiebat concurſus; quoniam non procul à monaſterio B. Mariæ ſemper Virginis Eremitarum, eius manſio fuit. Hic homo DEI nobis ſuo tempore miraculum fuit: qui cum eſſet omnium literarum penitus ignarus, intellectu tamen ſcripturarum mirabili ſubtilitate vigebat, dabatq; ad interrogata quorumlibet eruditorum reſponſa, non ſecus ac ſanctus ille Antonius Eremita, Philoſophus doctiſsimus, quondam ſine literis reddidiſſe fertur: quàquam non omnes paſsim ad colloquium ſuum admittebat, niſi quos cognouiſſet diuino

uino ſpiritu ad loquendum concitari: deniquе MIRACVLIS fertur coruſcaſſe.] Hæc Trithemius. Qui & Homil. 15. de abſt. & jeiunio Monachorum, talia de illo infert. [Ecce, annus agitur viceſimus, ex quo famoſus ille Nicolaus Suitenſis ſolitudinem ingreſſus, cibum non ſumpſit humanum. Omnibus notiſsima loquor; nec hominem in Germania viuere puto, qui famam huius Miraculi non audiuerit, &c.] Nec verò magnificentius hæc Author, quàm verius.

2. Vidimus porrò ſuprà cap. 11. § 5. quid in temporum faſciculo Argentoratenſes ei tribuerint: quòd nimirùm magna humilitate SOLO Corpore Dominico ſingulis menſibus refectus, in longos annos corporeo ſine cibo vixerit.] Breue, at magni momenti teſtimonium, quod mihi certè inſtar omnium.

3. Iam verò Noribergenſes, Tubingenſes, Colonienſes quid? Permultùm ſanè. Equidem anno M. CCCC. XCIII. id eſt, ſexto à deceſſu Viri DEI anno, Noribergæ typis prodijt Latinè pariter & Germanicè Opus chronicum valdè eximium, quod vulgò Noribergicum appellant, ab Hartmanno Schedelo I.V. Doctore, alijsq; nonnullis vrbis eiusdem ciuibus confectum. Atque in eo Opere, vbi deſcribitur annus M. CCCC. LXXX. perhonorifica Nicolai

noſtri ſit mentio. Quem locum Iohannes Nauclerus I.V. Doctor, præpoſitus Tubingenſis, Eremitæ noſtri æquè contemporaneus, in compendium redactum, ſuis Chronicis nobiliſsimis, Agrippinæ Coloniæ approbatis & multoties excuſis, hiſce inſeruit verbis. Generat. 50. fol. 1103.[Apud Suitenſes montanos in Alemannia, haud longè à finibus Lucernenſium, in loco vaſtæ ſolitudinis, homo ſenex ſolitariam vitam & abſtinentiſsimam hoc tempore degebat. QVI PER ANNOS VIGINTI SINE CORPORALI CIBO VIXIT; quem Fratrem Nicolaum appellabant. Habebat vxorem & liberos, à quibus ſeceſsit ob frugem melioris vitæ. Vir corpore aridus & exhauſtus, ſola cute neruiſque & oſsibus compactus. HIC HOMO QVASI COELESTEM VITAM EGIT IN TERRIS, immaculatam absq; ſorde: quamuis nonnulli iniqui iudices aliorſum ac deceat, interpretati fuerint. Sed mirum, cur virum calumnientur, qui longam vitam in arctiſsima paupertate & ſolitudine duxit; in abſtinentia extrema & humilitate perſeuerans: qui nihil appetiuit, qui nulli iniurius fuit, qui auaritiam calcauit, honores ſpreuit, nullum ſuperbiæ fomitem oſtendit: OPTIME DE FIDE SENTIENS. Paucorum verborum cum eſſet, ad interrogata tamen ſalubria

ſemper & conſolatoria reſpondit, ita quòd raró quiſquam ab eo non ædificatus abſceſſit. Is igitur BONVS, IVSTVS ac SANCTVS à bonis ſemper eſt habitus. Sciebat ſe mortali culpa liberum, bonis operibus ac contemplationibus intentum. Indicauit hoc perpetua hominis alacritas atque lætitia, quem nemo mœſtum vidit, ſed vultu ſemper eodem. Per ANTISTITEM quoque CONSTANTIENSEM APPROBATVS; ad cuius præceptum tres particulas panis, tanquam OBEDIENTIAE FILIVS comedit, quas cum difficultate deglutiuit. Tandem ſenio & viribus deficiens, eius ſenilem animâm mollis diſſoluit ſopor. Sepultus eſt in Eccleſia ſui paſtoris, cum opinione ſanctitatis.] Hæc Nauclerus: quæ apud Noribergenſes ita finiunt. [Sepultus in Eccleſia ſui paſtoris NON SINE MIRACVLIS quieſcit: qui & finitimis populis nonnulla VATICINIA prædixit.

4. Quin Eremitarum noſtrorum fama altiſsimis ſuperatis Alpibus, in mediam quoq; Italiam penetrauit. Nam Bonifacius Simoneta Cornu Abbas, Nicolao noſtro coæuus, Epiſtolarum ſuarum lib. 3. epiſt. ad Nicolaum Palmerium, ſic ſcribit. [Vir probus Mediolanenſis, qui Donatus nuncupatur, qui per orbem ad lapides precioſos ſæpè vagatur, duo præmiſsis mira-

biliora addit: ſcilicèt, quòd in Germania (eſt autèm Heluetia Germaniæ pars, quemadmodum Longobardia Italiæ) temporibus noſtris Eremita (Nicolaus) antro maxima obſeruatione incluſus, per Viginti annos iam elapſos non comedit: tum ab illo alium (Vdalricum) non longè diſtare, ſingulis diebus tres exiguos globulos è nucleis perſicorum edentem aſſerit.] Hæc Simoneta. Excuſum eſt illud Epiſtolare volumen Baſileæ, anno M, D, IX.

5. Ad exterorum teſtimonia & illud quoque pertinere videtur. Anno circiter M. D. LXX. in templum Saxlenſe venit, atq; ad ſepulchrum B. Nicolai mira animi deuotione adorauit, beatiſsimus Vir Carolus Borromæus Card. & Archiep. Mediolanenſis: qui ex ea hora totum ad Heluetios adjecit animum, factus eorum temporaneus primùm, dein verò vbi mortalem exutus clamydem in B. Nicolai complexus venit, æternus fautor ac patronus. Res ipſa loquitur, nec vlla eget probatione.

6. Per id tempus Adamus Valaſſerus Dilinganus, vir planè doctus ac pius, in vſum Germanæ pietatis multos pietiſsimos atq; elegantiſsimos Tractatus Germanicè edidit; atq; inter alios etiam Martyrologium ſacrum, cum præfatione & caſtigatione nominatiſsimi è Societate Iesv Theologi

Petri

Petri Caniſij: vnde & factum, vt illud hodiè non tàm Valaſſeri, quàm Caniſij Martyrologium vulgò vocitetur. Quo quidem in Opere ad XXI. Martij tale Nicolao noſtro tribuitur teſtimonium. [Item beata (inquit) memoria Fratris Nicolai Anachoretæ Vnderualdenſis Heluetij, qui cum conſenſu vxoris ſuæ, domeſticis rebus mũdoq; relictis, vitam abſtractiſsimam & religioſiſsimam per viginti penè annos ſine humano cibo ac potu vixit; ſpiritum Propheticum habuit; Miraculis quoq; poſt obitum clarus, quieſcit in templo parochiali Saxlen. Obijt anno M. CCCC. LXXXVII.] Hæc Martyrologium.

7. Taceo Eremitæ noſtri mentionem in vulgaribus etiam probatisq; reperiri faſtis: maximè tamen in Calendario Romano, per celeberrimum virum Gilbertum Genebrardum Theologum Pariſienſem, diuinarum Hæbraicarumq; literarum Profeſſorem regium Pſalmis Dauidicis, ab eo egregiè illuſtratis, præfixo, ſubq; annum M.D. LXXXII. Pariſijs excuſo.

8. Quin & annis ſuperioribus in ipſa vrbe Roma publicè proſtare viſæ ſunt imagines Eremitæ huius, arte Belgica adumbratæ, cum tali ſubſcriptione.

Nicoleos hic eſt, impranſus & incœnatus,
Qui ſolus quinas vixit Olympiadas:

Heluetica cautes, & conſcia ſaxa loquantur,
Quot biberint lachrymas, audierintq́; preces!

Quid Nouatores etiam de Nicolao ſenſerint. Cap. XXII. §. I.

EA virtutis vis ac plulchritudo eſt, vt in ſui admirationem & amorem etiam improbos inuitet. Quarè capitales quoq; vitæ eremiticæ hoſtes Eremitam noſtrum miris extulerunt laudibus. Anno quippè M.D.XXV. Oſualdus Molitor, qui & Myconius, Zuinglij diſcipulus, Vadiani aſſecla, in ſuo ſuper nobile illud (cuius ſuprà meminimus, cap. 11. §. 6.) Henrici Glareani de Heluetia carmen Commentario, edit. Baſil. pag. 64. ſui velut oblitus, in hunc modum diſſeruit. Huic eſt vaſtæ pius Incola eremi.) Nicolaum ſignificat Eremitam. Hic quidem natione Siluanus, patre Henrico, matre Hemmanna progenitus, Divino Monitu eremum intrauit, vxore cum decem liberis, quinq; maribus, & totidem puellis, relicta. Vbi abſq; cibo & potu humano * XXI. annos tranſegit.] Et paulo infrà, [Sepultus iacet apud Siluanos, in pago cui nomen Saxlen. Vir fuit admodum procera ſtatura & formoſa: ſuprà quàm erat ſatis, macie confectus, vt nihil aliud habere

* XIX.

bere

bere viſus ſit, quàm cutem oſsibus adhærentem. Color erat fuſcus; capilli nigri, canitie parſim interſperſi. Barba non prolixa, nec multo pilo, ſed in medio bifurcata. Oculi apprimè nigri, & quibus terrore quis potuiſſet OB VENERANDVM FVLGOREM concuti. Colli, gutturiſq; venæ, dum loquebatur, non ſanguine ſed aëre videbantur plenæ. Veſte vſus vnica & ſimplici, ad talos vſq; demiſſa. Caput ſemper nudum, & nudi pedes. Vocem edebat virilem, ſermonem tardum. Diſputans de DEO, videbatur omnia ſacrarum literarum ſecreta eſſe rimatus, cum tamen ne literam quidem nouerat. Illud addam: Cellulam eius fuiſſe longam duobus paſsibus & ſemis, latam vnius & dimidij, altam vt capite eius ſummitatem tangeret. Nihil inſuper videbas, præter duo humillima ſcabella, quibus haud dubiè pro ceruicalibus vtebatur. Hæc adſcripſimus ob eam cauſam, quòd hactenus non vidimus adnotata ab his, qui vitam eius viri literis mandarũt: quamuis Henricus LVPVLVS canonicus Bernenſis, homo planè doctus, nihil penè omiſerit: eius Libellum propediem in lucem dabimus. Noſtri Poëtæ (Glareani) parens cum eo loquutus fertur: cum auo Poëtæ ac eius maioribus bello interfuit. Poëta eo anno natus eſt, quando Nicolaus mo-

ritur. Filium eius conſulem vidit Poëta Siluaniæ anno à IESV CHRISI natali M.D. X. Nicoleos, Attica declinatio eſt, vt Meneleos: nam Nicolaus ditrochæus, heroico verſui minus apta erat dictio.] Et hæc quidem hactenus ille Molitor.

2. Cæterùm Ioh. Stumphius) in Chronico; ſub annum M. D. XLII. in lucẽ dato; prolixum ſatis & memorabile de Nicolao noſtro habet teſtimonium. Id Henricus Pantaleon Baſileenſis, Proſopographiæ Heroum atq; illuſtrium Germaniæ virorũ parte ſecunda, numero annorum Chriſti M. CCCC. LXXXVI. hiſce complectitur verbis.

FRATER Nicolaus Vnderualdenſis Eremita.) Nicolaus ille apud Vnderualdenſes Heluetios natus & educatus fuit. Is cũ adoleuiſſet, vxorem duxit, atq; plurimos liberos procreauit. Erat autem INNOCENTIA VITAE inſignis; qui (*a*) ſtipendijs externorum Principum contemptis, ſuis laboribus ſibi & familiæ victũ comparabat. Cùm hac ratione aliquandiu perſeueraſſet, tandem quorundam faſtu offenſus receſſum quærere, & huius mundi illecebras fugere cogitauit. Itaq; conſenſu impetrato, VXOREM cum decem liberis reliquit, & ſe in SOLITVDINEM conferens, ſupra locum Saxlen exiguam cellam ſibi parauit. Ha-

habebat

bebat illa in longitudinem paſſus tres, in latitudinem verò paſſum cum dimidio; altitudo erat, vt ipſe ibidem erectus ſtare poſſet. Erat is veneranda facie homo, proceræ ſtaturæ, capillo nigro cum canitie inſerta, barba tenui et diuiſa, colore caſtaneo. Veſte vtebatur ſimplici & oblonga; pedibus & capite nudus erat. Is ergò eo in loco PER *XXI. ANNOS MAGNA SANCTITATE ABSQVE VLLO CIBO ET POTV VIXIT; aut ſaltem (*b*) radicum eſu contentus fuit. Eius loci indigenæ aliquoties omnes vias inſederunt, & DILIGENTER OBSERVARVNT, num ab aliquo cibum reciperet. Idem etiam SVFFRAGANEVS CONSTANTIENSIS conatus; verùm NIHIL vnquam harum rerum intellexerunt. Nicolaus ille ſemper ardentiori oratione DEVM inuocabat, atq; fragilitatem humanæ naturæ ſuperans, ſolo ferè aëre victitabat. Inter alia ſemper dicebat: Domine DEVS, me mihi adime, & tibi totum tribue. Homines ad ſe venientes benignè & læto vultu alloquebatur, atq; eos ad virtutẽ & pietatem adhortatus eſt. Imprimis autem Heluetiorum Proceres admonebat, vt relictis externis bellis, ſeſe manuum labore atq; pecoribus alendis exercerent, & Regum ac Principum (*c*) ſtipendia veneno lita contemnerent, ne inſtar piſcium nocenti hamo

*XIX.

mo tandem caperentur. Eam enim militiam DEO & Chriſtianæ charitati eſſe aduerſam. SAEPIVS ETIAM FVTVRA PRAEDICEBAT, atq; Iram DEI vitare docebat. Ita autem in Eremo manebat, vt nihilominus diebus feſtis parochiam ſuam Saxlen viſitaret, atq; alijs omnib⁹ EXEMPLO eſſet. Officio autem Diuino finito, ſtatim ſeſe ad ſuum locum recipiebat, atq; ibidem homines alloquebatur. In eius cella nulla alia ſupellex erat, quàm duo exigua ſcabella, quibus forſitan noctu pro puluinari vtebatur. Is cum conſtanter hoc modo perſeueraſſet, tandem (d) anno M. CCCC.LXXXVII. mortuus, atq; in parrochiali templo Saxlen ſepultus eſt. Eius memoria apud Heluetios RECENTISSIMA exiſtit, ita vt parentes ſubinde pias huius viri admonitiones ſuis filijs & nepotibus meritò inculcent. Hæc Pantaleon ex Stumphio; qui ſuum ita concludit teſtimonium. Pia namque monaſtica ac ſolitaria vita ſegregat quidem hominem à mundo, mundiq; improbis illecebris; verùm non ideò excludit eum à dilectione populi DEI, aut ſancta Chriſti Eccleſia. Quapropter Frater Nicolaus, quoad ſolitarius fuit, ſuum ſemper viſitauit templum. Alij vitam huius viri copioſius ſcripſere, vt Henricus Lupulus homo apprimè doctus, & canonicus Bernen-

ſis;

ſis; nec non alij plures: ego hîc breuitati ſtudui.] Eatenus Stumphius.

IN PRÆCEDENTIA Notationes.

CVm nullus vnquã fuerit vel ſanctiſſimorum Patrum, cuius famæ ac gloriæ virulenti Hæreticorum morſus pepercerint; mirum videbitur nemini, Pantaleonem quoque ac Stumphium Nicolao noſtro affinxiſſe, quæ docere nequeant. Ea autem à nobis ſelecta ſic refelluntur.

a. Qui ſtipendijs externorũ Principũ contemptis.) Scitè. Conſtat Nicolaum totos iam ſeptem annos in eremo agentem omnis cibi ac potus caruiſſe vſu, quando prima Heluetijs donatiua ab exteris miſſa ſunt. Nam anno M. CCCC. LXVII. Nicolaus eremum intrauit, & anno deinde eiuſdem ſæculi LXXIV. Ludouicus XI. Galliarum Rex, icto cum Heluetijs fœdere, Principum omnium primus ſtipendia illis elargiri cœpit: teſtibus Etterlino, Simlero, atq; ipſo Stumphio in Chronicis. Quomodo ergò Niclaus ſpretis eiusmodi largitionibus ſibi ſuiſq; comparauit victum laborando?

b. Aut ſaltem radicum eſu contentus fuit) Hanc appendicem includit Stumphius parentheſi, hoc modo. *Ducebat is in eremo hac*

valdè

valdè abſtractam, ſegregatam & ſanctam vitam ad XX. annos ſine omni corporali cibo ac potu (quidam volunt, eum comediſſe radices) volunt quidam, ait. Sed quinam illi, qui id volunt? Nemo certè vir Catholicus. Quis ergò? Quidã Nouatores volunt, ne quid grauius dicam: ſed velle eorum nihil eſt; quod DEVS voluit, id factum eſt: *Omnia enim quæcunq; voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.* Vellent quidem ſectarij vt Frater Nicolaus nullum Sacellum, nullum altare, nullum Sacerdotem habuiſſet; vellent vt nulli vnquam interfuiſſet Miſſæ ſacræ, vt nunquã confeſſus fuiſſet, aut ſacramentaliter abſolutus; quin vellent, vt ſacroſanctam ille Euchariſtiam proiectã humi pedibus conculcaſſet, aut certè Vulcano tradidiſſet; vellent quoq; vt non ſolùm radicibus, verùm etiam carnibus vel in ipſa Quadrageſima victitaſſet. At DEVS, *qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis*, longè voluit aliud: DEVS, voluit vt Nicolaus hic, omnibus ac ſingulis Eccleſiæ ſanctæ Romanæ Inſtitutis, conſuetudinibus ac præceptis diligentiſſimè obſeruatis, & angelicam in terris ageret vitam, & eſca ſola paſceretur angelica: nimirùm qua de canit Eccleſia.

Panis angelicus fit panis hominum,
Dat panis cœlicus figuris terminum;
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper ſeruus & humilis.

Hæc

HAEC & multa alia, quæ prudens omitto, voluit DEVS; quin etiam plura volet inpoſterum. Volet enim, quod ego planè mihi perſuadeo, vt beatus noſter Nicolaus in extremo mundi die Heluetios ſuos iudicet, qualiter Sancti Apoſtoli XII. tribus Iſraël. Haud enim fruſtrà valido exercitui prælaturus eſt vexillum in vita æterna: ſup. ca. 5.§.2. teſte etiam Lupulo, pag.13. Qua ergò putas fronte Sacramentariorum caput ibi cōparebit? Sed de his ſatis. Vnum tantũ te moneo cordate lector, vt illi Pantaleonis Stumphijq; comento fidem nullam adhibeas, cùm in aperto ſit, complures etiam Sectarios illis haudquaquam ſubſcribere. Cernis quippe Oſualdum Molitorem nihil prorſus de radicibus inferre, immò nec verbulo aureũ illum Glar. verſum: *Sacro viuebat Corpore Chriſti*, taxare auſum. Adhæc Iohannes Heyd ex Dhun Bernenſium oppido, in Caio Plinio abs ſe aucto, editoq; Francofurti apud Ioh. Saur, anno M.DC. part. 1.cap.2. inter maxima naturæ miracula Nicolaum hunc connumerat; vbi ſine cibo omni potuq; vixiſſe eum affirmans, citat nominatim Ioh. Stumphium & Seb. Francum, eius rei teſtes; nec tamen radicum meminit. Deniq; nequaquam *innocentia vitæ & ſanctitate magna* (vt loquitur Pantaleon) ſed hypocriſi inſignis fuit Nicolaus,

laus, ſi altus radicum eſu, noluit nec Suffraganeo Conſtantienſi, nec ſuo Confeſſario, nec cuiquam id hominum reuelare. Quòd ſi porrò totum ille deluſit mundum, valdè profectò mirum eſt, adeò inauditam fraudem tandiu tegi & occultari potuiſſe; cùm verisſimum ſit illud Petrarchæ: *Vt immortalis eſt veritas, ſic fictio & mendacium non durant: ſimulata illicò pateſcunt, & magno ſtudio compta cæſaries vento turbatur exiguo, & operoſè licet impreſſus fucus leui ſudore diluitur, & argutum quoque mendacium vero cedit, coramq́ preſsius intuenti diaphonum eſt: opertum omne detegitur, abeunt vmbræ, natiuusq́ rebus color manet, & latére diutius magnus eſt labor: nemo ſub aquis diu viuit, erumpat oportet, & frontem quam celabat, aperiat.* Verùm abſit, vt de viro ſanctisſimo quicquam ſiniſtri ob Nouatorum figmenta ſuſpicemur.

c. *Principum ſtipendia veneno lita.*) Diſplicuerunt quidem Nicolao faſtus, leuitas & luxus, qui donatiua eiuſmodi ſequi ſolent: at propterea reges ipſe ac principes non inſimulauit falſi aut proditionis. Miraris, Lector, aduerſariorum ea in re vehementiam? Cognoſce res in Gallijs ac Belgio pro Fide catholica geſtas: Videbis, vnde ILLAE LACHRYMAE.

d. *Tandem anno 1487. mortuus.*) Correxi hîc notam annorum, quæ malè ponebatur.

Epilogus.

Epilogus.

Habes, Lector beneuole, incomparabilis Nicolai noſtri Acta præcipua; habes Hiſtoriæ ipſius fundamenta ac munimenta. Quæ tametſi memorabilia ſunt omnia; quinque tamen præ cæteris æterno MARMORI inſculpenda: quòd nimirùm à puero puſillo ad extremum halitum vſq; Catholicæ Romanæ pietatis fuerit obſeruantiſsimus: quòd multis continuis Annis à cibo potuque corporeis abſtinuerit: quòd interea temporis ſolo Angelorum pane, caliceq; Domini ſuſtentatus: quòd ſpiritum habuerit Propheticum: quòd denique multis magnisq; etiam poſt obitum claruerit Miraculis, &c. Agamus gratias Domino DEO noſtro, & gloriemur in laude eius, qui talem nobis huius peregrinationis ducem ac patronum dedit; cuius DOCTRINA & EXEMPLO multa hactenus Animarum millia (quod fidenter credimus) in ſemita veritatis ſeruata ſunt; teſte etiam vel tota Heluetia Catholica. Gloriemur de illo in Domino.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Saluo per omnia S. Apoſtolicæ Sedis Iudicio.

ENCOMION,

IN VITAM ET OBITVM F. NICOLAI DE SAXO, EREMITAE VNDERualdenſis:

AVCTORE

Clariſſ. Dn. Sebaſtiano à Beroldingen, Conſule Vrienſi Heluetio.

CONTEMPTOR *mundi, naturæ victor, olympi*
Aemule, diuitijs hoſtis, amice DEO.
NICOLEE, *aſtriferi potior pars vna Theatri,*
Cui ſummus pretium ſe dat amoris Amor.
Sancte Pater patriæ, veræ Pietatis imago,
Heluetiæ cuſtos, gloria, ſpeſq́ tua.
En quibus expoſiti (facile eſt meminiſſe) periclis
Vitam agimus, præſens poſcimus affer opem,

Nam

Nam quia tu Chriſto meritis adiuncte triumphas,
Credimus inde tuas robur habere preces.
Nondum contigeras inuiſi limina mundi,
Non erat illuſtri faſce ſoluta parens;
Iamq́; tibi effudit ſua dona benignius æther,
Aſtra vides infans luce micare tua:
Heluetiæ ſidus, Lux ô clariſsima ſalue,
Candorem noſtris inſere pectoribus.
Tu, ne corrupto ſorderet flore Iuuenta,
Iunxiſti ingenuo libera colla iugo.
Pignora quin etiam tuleras bis quinq; maritus,
Et faſces, & opes, militiamq́; colis.
At poſtquam mulſit cœleſtis gratia mentem,
Faſces, arma, aurum deſeris & patriam.
Et quis te fugiat, quô ſpiritus impulit auctor,
Corde ſequi, prona eſt, aſpera ſiue via?
Sancta quies melior circum ſpelæa ferarum,
Accepto felix hoſpite ſilua viret.
Silua domus fuit abſq; cibo, ſaxa aſpera lectus;
Ferre DEO puras vnica cura preces.
Bella moues mundo, ſecretæ cultor Eremi,
Ac ſublatus humi ſidera mente capis.
Corporei ſenſus animi impetuoſa voluptas,
Si qua nocens mentem paſsio turbat, abeſt.
Nil niſi diuinum mens cogitat ardua ſemper,
Nil niſi perpetuum clamat amatq; bonum.

Vini

Hinc ſeſe attollit ſupra ſe ſpiritus ingens,
Abſtractusq́ humili corpore liber abit.
Quos non hauſiſti pro Chriſto ſponte labores?
Quæ capiti illiſa eſt non grauis vnda tuo?
Tela Satan artesq́ para, omnes exere vires,
Qui tua non metuit prælia miles adeſt.
Qualis Erythræis Antonius errat arenis,
Quiq́ fugis Decij Paule verende minas.
Quid te Macari, iam nomine req́ beatum,
Milleq́ commemorem, nomina ſancta, Senes?
O lim contemptos, nunc ſupplex orbis adorat,
Exoratores poſcit habere DEI.
" *Continuent alij longos ieiunia menſes,*
" *Sint vita caſti, peruigilentq́ Sacris:*
" *Magna licèt ſint hæc, at ſunt communia multis:*
" *Hic citra exemplum vixit & abſtinuit.*
" *Vix aliâs audita DEVS miracula præſtat,*
" *Mortalem panis non moriturus alit!*
" *Nicolee, antiquas tibi mutant ſidera leges,*
Expers quinq́ cibi viuis Olympiades.
Te Diuis virtute parem, ſed gratia maior
Exemptum humanis te volet eſſe malis.
Angelicis æquate choris, qui liberum ab omni
Mortali corpus conditione geris.
O menſa dignate DEI, conuiua Senatus
Cœlitûm, humi dapibus veſceris æthereis.

Exacta donec longa ſine crimine vita,
Multùm optata tuis hora venit lachrymis,
Siue fuit ſomnus, placidæ ſeu mortis imago,
Tranſitus ad ſuperos commodus ille fuit.
Et cineres ſequitur decus immortale ſepultos,
Aſsiduo grata eſt parta labore quies.
Te patrono igitur quiduis ſperare licebit,
Indulget facilis, tu modò poſce, DEVS.
Quisquis egenus opis cœleſtia Numina voto
Sollicitat, fiet te tribuente potis.
Ire gradu firmo læſos pede vidimus ipſi;
Mirari cæcum marmora picta ſenem.
Ob vitium matris ſacro qui fonte careret,
Incolumis viuit te reuocante puer.
Quis numero cenſere queat ſanaueris ægros,
Siue quot immundos Dæmonas expuleris!
Re dubia populis Vates oracula pandis,
Diuinæ mentis conſcia fata vides.
Per te parta frequens patriæ victoria bello,
Et per te peſtis ſæpe repulſa lues.
Nicolei rurſus longo pòst tempore nomen
Oblitum nautæ, te præeunte, vocant.
Cœlitis haud vllus nomen præſentius vſquam,
Cùm febri rigeant viſcera, thure colit.
Hoc quisquis merito veneratur honore ſepulchrum,
Sentiet extemplò ſubuenientis opem.

Et dubitamus adhuc Albo te inſcribere Diuûm!
Nomine ceſſamus templa dicare tuo!
Spiritus æternam ſublatus in ætheris arcem,
Aſſuetis fruitur nectare & ambroſia.
Inde fauens noſtris pronas accommodat aures,
Supplicijs, fruſtrà ne pia vota cadant.
Huc ades, ô dubijs protector maxime rebus,
Verbaq́ pro patrijs proſpera funde focis.
Pelle famem, peſtisq́ luem, bellumq́ cruentum,
Pelle ſimultates, pelle & auaritiam.
Nec fortunam equidem fugimus, quæcunq ferenda.
Iſta fatemur enim promeruiſſe mala.
At meritis precibusq́ tuis lenire furorem
Fidimus, vt feriat mitior ira ſcelus.

FINIS.

Laus DEO & Omnibus SANCTIS.

Errata typographica ſic corrige. Sunt autem nonnulla eorum in quibusdam Exemplaribus iam correcta.

Pagina 17. *linea* 20. *lege* Feneſtrellis, *Ibidem lin. vlt.* hominis, *pag.* 19. *lin.* 10. Antiſtitis, *pag.* 25. *lin. penult.* deuotione, *pag.* 39. *lin.* 21. contextas, *Ibid. lin.* 26. liquorem, *pag.* 44. *lin.* 9. *lege* poſt mortem apparitio, *pag.* 55. *lin.* 15. *lege* Eccleſiæ Saxlenſis Turricula ſiue capſa argentea, &c. *pag.* 64. *lin.* 5. pulchritudo, *pag.* 70. *lin.* 21. *lege* longè voluit aliud: voluit DEVS, vt Nicolaus, &c. *Reliqua per te facilè reſtitues.*

BIBLIOTECA